Schultz
Prodromi florae
Stargardiensis.
Supplementum Primum


PRO SCIENTIA
SALUTE
POPULIQUE
LIBRARY OF
THE NEW YORK BOTANICAL GARDEN
Special Book Fund
1910
Septemb 1899
R. W. Gibson Invt

PRODROMI
FLORAE STARGARDIENSIS
SUPPLEMENTUM PRIMUM.

ADJECTIS OBSERVATIONIBUS

AUCTORE

CAROL. FRIEDER. SCHULTZ,

MEDIC. ET CHIRURG. DOCTORE S. MAGN. DUCI MEGAPOL. STRELITZENS. A CONSIL. AULIC. SOCIET. PHYS. MEGAPOL. BOTAN. RATISBON. NATUR. CURIOS. HALENS. SODAL. ET A LITTER. JUNCT.

NEOBRANDENBURGI,

SUMTIBUS AUCTORIS

MDCCCXIX.

Lecturis.

Quo largiore humanitate ac indulgentia in dijudicando Prodromo florae Stargardiensis usi sunt amici botanophili, quin summi botanici, eo magis ex meis officiis putavi errores hic illic commissos pro viribus emendare opusculumque istud in dies locupletius perfectiusque reddere, quantum quidem alia gravioraque officia concesserint. Inprimis autem cordi mihi fuit in plantas florulae nostrae dubias, sint hae diagnosi incertae vel indigenatu ambiguae, diligentius inquirere easque curatius examinare, ut illas, si varietates modo cognitae fuerint, ad suas species reducerem, has autem e flora plane relegarem, et ita catalogum meum, vel detrahendo castigandoque augerem. Ditavi tamen eum quoque centuria sesquialtera plantarum nuperius detecta-

me minime Oxalidem corniculatam cum stricta, nec Lecideam rosellam cum Tubercularia rosea confudisse, quod suspicatus est Criticus (Neue Leipz. Litter. Zeitung April 1806.) O. corniculata nobis omnino indigena et in hortis nostris suburbanis herba difficile exstinguenda - stricta autem florae omnino exsul habenda est; Lecidea rosella vero, organica sua nitidaque fabricatione conspicua, cum corpore amorpho conglebato, quale est Tubercularia rosea, me censente, vix unquam potest confundi.

Dabam Neobrandenburgi
Calend. Mart. MDCCCXIX.

C. F. Schultz.

Classis I.

MONANDRIA.

PRODROM. FLOR. STARGARDIENS.

Ad No. 2 — 5. Callitriche. Omnes hucusque notas hujus generis species Willdenowius (Enum. Hort. bot. Berol.) praeeuntibus Hudsono et Smithio (Flor. britan.) in unam speciem sub Callitr. aquatica conjunxit; jam autem Wahlenbergius (Flor. Lappon.) Callitr. autumnalem restituit propriamque speciem vindicavit, et jure quidem optimo. C. verna L., intermedia Hoffm. et cespitosa mea in eo conveniunt ut folia varia, inferiora decolora tenuia membranacea, saepe linearia, apice bifida, uninervia, superiora vero subcarnosa glaucescentia, plus minus ovalia seu spathulata apice integra triplinervia sint, et capsulae seminiferae obtuse marginatae. Nervus in foliorum superiorum attenuata basi quoque simplex quidem est, at medium versus duos ramos emittit qui non petunt marginem sed eum concomitantes ante folii apicem convergendo anastomosant et ita figuram ovalem, ellipticam, oblongamve, nervo medio recto bipartitam efficiunt, prout folium magis minusve dilatatum fuerit. — C. autumnalis vero foliis gaudet omnibus aequalibus tenuissimis membranaceis laete viridibus subpellucidis lanceolato-linearibus uninerviis apice emarginato-bifidis et capsulis margine membranaceis. Retineamus itaque C. vernam et autumnalem Linnaei easque sic definiamus:

Callitriche verna L. foliis variis, supremis ovalibus triplinerviis apice integris, fructibus obtuse marginatis.

α. foliis plurimis ovalibus, l. spathulatis triplinerviis apice integris. (C. verna L. et Autorum plurium).

β. foliis inferioribus linearibus uninerviis apice bifidis, supremis confertis ovalibus triplinerviis apice integris. (C. intermedia Schkuhr. Hoffm.

γ. foliis lineari - lanceolatis uninerviis, supremis oblongis triplinerviis, omnibus apice integris. (C. minima Hopp. cespitosa Schultz.)

Omnes hae varietates aquis pigris coenosis delectantur et mire ludentes altera in alteram transit; ulterior saepius extra aquam in terra limosa vivit.

Callitriche autumnalis L. foliis aequalibus lanceolato - linearibus uninerviis apice emarginato - bifidis, fructibus margine membranaceis.

Habitat in aquis limpidis. — ad pag. Eichhorst am Rande des See's hinter dem Hofgarten. Aug.

Hujus indolis planta vero haud ita vulgaris videtur ac vulgo credunt; plus una vice enim C. intermediae mera varietas tenuior pro autumnali mihi venditata est et in pluribus plantarum collectionibus frustra eam quaesivi; liceat ideo plantulam, qualem flora nostra exhibet, paucis delineare. — Radices fibrosi albidi; caules debiles confertissimi ramosi, ramis alternis radicibusque axillaribus densissime implexi tetragoni suberecti; folia cruciatim opposita connata lineari - lanceolata, (i. e. basi latiora quam apice; inversa ratio obtinet in praecedentibus) patentia; suprema reliquis simillima, modo confertiora, sed non in rosulam congesta; fructus creberrimi axillares subsessiles, respectu praecedentium magni membranacei, capsulae nimirum semina laxe circumdantes marginem inanem membranaceum relinquunt. Inflorescentiam observare mihi non licuit; Linnaeus plantae flores hermaphroditos — Rothius monoicos adscribit, cum vero specimina mea a basi fere ad apicem fructibus onusta sint, censeo Linnaeum

rectius vidisse; C. verna autem cum suis varietatibus omnino monoica est. Caeterum si Rothius (Fl. german.) fructus pedunculatos et folia superiora in rosulam congesta inferioribus paulo latiora describit, vereor ne Celeberr. Vir meram varietatem attenuatam C. intermediae, quod et mihi olim accidit, pro autumnali habuerit.

DIANDRIA.

Ad No. 8. Veronica maritima qua talis delenda est, perperam hanc uti plurimi Floristae germanici confudi cum

Veronica longifolia L. foliis oppositis ternis quaternisve cordato-lanceolatis acuminatis duplicato-serratis cauleque pubescenti-tomentosis Schrader. flor. germ. 1. p. 18. Planta adhuc e rarioribus nostris est nec nisi in memorato loco mihi occurrit.

Ad No. 15. Veronica Teucrium β. major e Schradero est Veronica latifolia L. foliis sessilibus subcordato-ovatis obtusis serratis, calycibus quinquepartitis, caule adscendente. Schrad. l. c. p. 35.

β. minor. Veronica Teucrium L. — Utraque varietas occurrit calyce quadripartito, et promiscue cum β. specimina legi foliis oblongo-lanceolatis basi attenuatis subpetiolatis, quae non male respondent descriptioni V. dentatae Schmidtii, at neutiquam specie differunt. Huc quoque pertinet V. prostrata Wredow (Oekonom. techn. flora Mecklenb. 1. p. 17.

Ad No. 13. Veronica Anagallis β. latifolia, foliis ovato-oblongis obtusiusculis remote dentatis. — in paludosis prope Neobrandenburg.

Ad No. 27. Salvia pratensis variat caule tripedali et altiore, foliis ultrapedalibus profunde inciso-serratis. — in sylvaticis, prope Neobr. im Ihlenfeld. Holz. Aug.

TRIANDRIA.

Ad No. 30. Valeriana officinalis L. β. foliolis angustioribus acutioribus radice gravius olente. Schrad. l. c. p. 85. — in graminosis elatioribus passim. Jul.

Ad No. 31. 32. Valeriana olitoria et dentata cum reliquis valerianellis proprium genus Fedia constituunt, cujus characterem et specierum descriptiones vid. Schrader. l. c. p. 94.

Ad No. 34. Schoenus Mariscus est Cladium germanicum Brown. culmo tereti corymbis confertis, floribus fasciculatis. Schrad. l. c. p. 75. — Copiosissime quoque ad pag. Brunn in pratis turfosis asperis occurrit. Jul. Aug.

Ad No. 35. Schoenus nigricans L.
β. Schoenus ferrugineus, culmo tereti, spiculis geminis, involucri valvula exteriore spiculas aequante. Schrad. l. c. p. 115.

Nobiliss. ab Oertzen in terra sua Brunn Schoenum ~~fuscum~~ copiose invenit et numerosas varietates mecum perquisivit quae transitum hujus in S. ferrugineum luculenter demonstrant; in eodem loco natali specimina robusta ultrapedalia spiculis plurimis fasciculatis et valvula exteriore spiculas longe superante donata (S. ~~fuscus~~) cum gracilioribus vix semipedalibus, spiculis geminis vel solitariis et valvula exteriore his aequali vel breviore instructis (S. ferrugineus) promiscue occurrunt, ita quidem ut limites certi nullo modo inveniantur; nuces semper glabras nec setulis obsitas vidi.

Ad No. 36. Schoenus albus est Rhynchospora alba Vahl. culmo trigono, foliis linearibus carinatis, fasciculis terminalibus subcorymbosis involucrum aequantibus, stigmatibus stylo longioribus. Schrad. l. c. p. 111. (Schoen. alb.)

Ad No. 39. Cyperus virescens deleatur; est, uti suspicatus sum, mera varietas C. fusci.

Ad No. 40. Scirpus palustris;
β. spica pollicari cylindrica, culmo compressiusculo ultrabipedali, cujus mentionem fecit Willdenowius (Enum. h. bot. Berol.) copiose prostat in fodinis turfaceis prope pag. Ballin.

Ad No. 42. Scirpus Boeothrion Ehrh. culmo tereti, vaginis aphyllis, spica nuda, glumis obtusis stigmatibus tribus. Schrad. l. c. p. 125. — prope Friedland am Landgraben frequentius occurrit, et a Celeberr. Sprengel ibidem lectus est. Jul.

1. Scirpus cespitosus L.

Sc. culmo tereti, vaginis in rudimentum folii desinentibus, spica involucro diphyllo inclusa, stigmatibus tribus. Schrad. l. c. p. 123.
α. vulgaris, culmo 4 — 6 — unciali rigido.
β. nemorosus, culmo ultrapedali debili.

Habitat in pratis paludosis turfosis frequens; *β*. in palustribus sylvatic. elatior. am Stargard. und Trollenhag. Berg. Jun. Jul.

Ad No. 44. Scirpus lacustris L. *β*. medius Schrad. loc. cit. p. 134. in fossis turfosis, prope Neobrandenb. auf der Kuhweide. Jun.

2. Eriophorum triquetrum Hopp.

E. culmis trigonis, foliis triquetris, pedunculis scabris. Schrad. l. c. p. 152.

Habitat in paludibus turfosis profundiss. rarissime ad pag. Jatzke in dem Bruch neben der Eichhorst. Pfarrwiese. Majo.

Ad No. 49. Eriophorum angustifolium *β*. majus, culmis bipedalibus, foliis latioribus rigidis involutis longissimis, spiculis 4 — 6. occurrit in

pratis asperis prope Neobrandenb. hinter der Kuhweide.

Ad No. 51. Phalaris phleoides est Phleum Boehmeri Wibel. panicula subspicata cylindracea, glumis càlycinis lanceolatis obtusis submucronatis scabriusculis. Schrad. l. c. p. 186.

Ad No. 57. Phleum nodosum est mera varietas Phl. pratensis e solo steriliori nata.

Ad No. 62. 63. Agrostis vinealis Roth et stolonifera qua varietates ad A. albam Schrad. l. c. p. 200. reducendae sunt; ulteriorem cum plurimis Floristis male intellexi; vera Linneana stirps, alpicola, in depressis Germaniae provinciis nullibi lecta est.

3. Trichodium caninum Michaux.

T. paniculae ramis dichotomis hispidulis, ramulis divergentibus flexuosis, calycibus acutis, arista dorsali infra medium proveniente. Schrad. l. c. p. 198.

α. floribus purpurascentibus.

β. floribus stramineis.

Habitat in pratis turfosis dumetosis frequens. — ad pag. Ballin et Eichhorst utraque varietas promiscue provenit. ♃ Jul. Aug.

Ad No. 76. Poa angustifolia jam varietas P. pratensis confirmata est; alia var. Poa humilis Ehrh. in pratis ad fossarum margines occurrit. Jul. Aug.

Ad No. 82. Poa distans e flora nostra releganda est.

4. Poa serotina Ehrh.

P. panicula aequali diffusa, spiculis ovato-lanceolatis subquinquefloris flosculis basi villo connexis obsolete quinquenervibus, culmo vaginisque scabriusculis, ligula brevi, radice subrepente. Schrad. l. c. p. 299.

P. palustris Timm. (flor. Megapol. Swerinens.)

β. major, culmis ultrabipedalibus, spiculis novemfloris.

Habitat in pascuis, pratis, collibus sylvaticis frequens β. in paludosis prope Neobrandenb. auf den Wiesen hinter der Kuhweide. Jul. Aug.

5. Poa bulbosa L.

P. panicula aequali diffusa, spiculis ovatis subquinquefloris, flosculis basi villo connexis, culmo fasciculisque foliorum bulbosis, radice fibrosa. Schrad. l. c. p. 294.

β. floribus viviparis.

Habitat in collibus graminosis rarius. — prope Neobr. vor der Krappmühle rechts am Wege, Majo; β. multo frequentior.

Ad No. 83. Poa cristata nunc iterum Airae generi accensetur.

Ad No. 92. Festuca fluitans est
Poa fluitans Scopol. panicula secunda divaricata, spiculis linearibus adpressis 7 — 11-floris, flosculis obtusis liberis 7-nerviis, radice repente. Schrad. l. c. p. 280.

Ad No. 90. Festuca decumbens est
Poa decumbens Smith. panicula subsimplici contracta pauciflora, spiculis oblongo-ovatis 3 — 4-floris, calyce flosculos subaequante. Schrad. l. c. p. 305.

Ad No. 87. Festuca ovina β. villosa Schrad. l. c. p. 302. haud rara est in collibus apricis.

Ad No. 89. Festuca nemorum est
Festuca duriuscula L. panicula patente, flosculis arista longioribus, radice fibrosa. Schrad. l. c. p. 328.

6. Festuca pratensis Smith.

F. panicula patente ramosa, spiculis linearibus muticis multifloris, foliis linearibus, radice fibrosa. Schrad. l. c. p. 332.

Habitat in pratis tam depressis quam elatioribus frequens. Jun. Jul.

Ad No. 91. Festuca elatior L. — emendentur diagnosis et synonyma e Schrad. l. c. p. 433.

7. Bromus commutatus Schrader.

B. panicula apice nutante, spiculis lanceolatis compressis nudis, flosculis imbricatis, aristis rectis gluma longioribus, foliis villosis. Schrad. l. c. p. 353.

Habitat in pratis sylvestr. infrequens. — prope Neobrandenburg. am neuen Weg links im Bruch. Jul.

Ad No. 111. Lolium perenne. β. Lolium tenue Schrad. l. c. p. 397. ad agrorum margines et inter segetes passim — auf dem Zirzow'schen Felde am Wege nach Woggersin.

Ad No. 113. Elymus caninus est Triticum caninum Hudson. glumis calycinis brevius aristatis trinerviis subquinquefloris, flosculis aristatis, radice fibrosa perenni. Schrad. l. c. p. 389.

TETRANDRIA.

8. Asperula arvensis L.

A. foliis senis, floribus terminalibus sessilibus aggregatis. L. Spec. plantar. ed. Willd. 1. p. 576.

Habitat in campis arenosis passim aestate — prope Mirow legit Nobiliss. a Kamptz.

9. Asperula cynanchica L.

A. foliis quaternis linearibus, superioribus oppositis, floribus quadrifidis, caule erecto. L. Sp. pl. ed. W. 1. p. 579.

Habitat in collibus arenosis infrequens. Jun. — ad pag. Prillwitz.

Ad No. 118. Dipsacus pilosus copiose crescit prope Stargard bei dem alten Schlofs.

10. Galium boreale L.

G. foliis quaternis lanceolatis trinerviis glabris, caule erecto, seminibus hispidis. L. ed. W. 1. p. 595.

Habitat in palustribus sylvatic. passim. — prope Neobrand. im Brüderbruch; et prope Friedland legit Celeberr. Sprengel. Jul. Aug.

Ad. No. 130. Plantago major. γ. P. latifolia rosea, floribus quasi in spicam dispositis. L. ed. W. l. c. provenit in hortis et agris fertilioribus prope Mirow. a Kamptz.

Ad No. 141. Potamogeton lucens β. rotundifolius, foliis ellipticis utrinque rotundatis apice brevissime mucronatis. — prope Neobrandenb. im Tollensee und dem Oberbach.

Haecce varietas Nonnullis propria et a P. luc. diversa species visa est; at in eodem individuo utriusque formae folia inveni. P. lucens more plurium plantar. aquaticar. mire ludens foliis lanceolatis utrinque attenuatis, oblongis obtusiusculis ellipticis utrinque rotundatis vel basi attenuatis, hisque omnibus mox sessilibus, mox evidenter petiolatis occurrit; quo profundior est, quam inhabitat aqua, eo magis elongantur caules et folia.

11. Potamogeton complanatus. W.

P. foliis linearibus acutiusculis basi eglandulosis spica multiflora, caule compresso. Willdenow im Magaz. der Berlin. Gesellsch. naturf. fr. III. p. 297.

P. zosteraefolium Schumach. Enum. pl. Fl. Soelland. p. 50.

P. Loesel Pruss. p. 206. t. 66.

Habitat in aquis stagnantibus rarius. — ad pag. Ballin in dem kleinen Teich hinter dem Hofgarten Jun. Jul.

P. compressus similis differt fol. obtusiuscul. basi biglandulosis, spica pauciflora; at tamen hujus specimina omni ratione majora et glandulis obsoletis, in fluvio prope Neobr. mihi obvia fuerunt quae quasi inter utrumque media.

Ad No. 145. 146. Potamogeton pectinatus et marinus a Smithio (Fl. britann.) et qui eum sequuti sunt identici habentur; bene! P marinus

Fl. Stargard. tamen a pectinato nonnihil recedit: caule gracillimo subsimplici, ramis, si adsunt, foliisque rarioribus tenuissimis flexuosis divaricatis, axillis distantibus, nec strictis rectis parallelis cauli approximatis; spica gracillima pauciflora, verticillis binis ternisve; quam varietatem lacustrem nominarem. — prope Neobr. im Tollensee. Jul.

12. Sagina depressa S.

S. caulibus adscendentibus, foliis subulatis mucronatis canaliculatis nudis, pedunculis calycibusque glanduloso-pubescentibns, foliolis calycinis oblongis.

Habitat in agris arenosis infrequens. — prope Neobrandenb. auf dem Broda'schen Felde gegen Belvedere. Jun. Jul.

Radix fibrosa alba; caules plures purpurascentes sublignosi, vel toti prostrati, vel basi tantum depressi adscendentes, centrales erecti, nudi; folia subulata mucronata, infra convexa supra canaliculata basi membranacea connata nuda; pedunculi patentes et calyces glandulis stipitatis obsiti; flores oblongi erecti corolla obsoleta, foliola calycina oblonga acutiuscula albo-marginata capsulam maturam subaequantia; semina angulata subcuneata fulva immarginata.

S. procumbens differt: glabritie omnium partium, caulibus magis herbaceis omnino decumbentibus saepe radicantibus, foliis lineari-lanceolatis, utrinque planis, floribus capsulisque nutantibus, foliolis calycinis subrotundis capsula dimidio brevioribus.

S. apetala similior recedit: caulibus multo tenerioribns filiformibus strictis erectis; foliis duplo brevioribus basi ciliatis, pedunculis longioribus strictis erectis calycibusque nudis, floribns minoribus subglobosis, et foliolis calycinis ovatis obtusis, capsula dimidio brevioribus. — Autores quidem ad unum omnes Sag. apetalae caules pubescentes adscribunt, at in speciminibus Goettingae

lectis, quae Mertensio meo debeo, praeter foliornm cilia nullam pubescentiam invenio.

PENTANDRIA.

13. Myosotis cespitosa S.

M. caule erecto ramoso, foliis lineari-lanceolatis obtusiusculis, calycibus patulis corollam subaequantibus, stylo brevissimo incluso.

Habitat in paludosis turfosis et in limosis inundatis passim. — ad pagum Ballin hinter dem Hofgarten, et prope Neobrandenb. am kleinen Jhlpol. Jun. Jul.

Radix fibrosa, caulis erectus pedalis et sesquipedalis, vel simplex superne ramosus, vel plerumque statim a basi ramosissimus, setis raris adpressis, uti integra planta, scabriusculus, rami erecti subcorymbosi; folia sessilia lineari-lanceolata obtusiuscula basi attenuata, quasi petiolata; racemi longissimi multiflori, calyces breviter pedicellati profunde quinquefidi, laciniis lanceolatis acutiusculis tubo corollae longioribus patulis; corolla pallide caerulea parva, limbo laciniis calycinis incumbente, stylo calyce duplo breviore. — In terra limosa radix saepe caules numerosissimos protrudit, qui erecti, vel exteriores basi paulo depressi cespites densissimos efficiunt. — Cel. Schrader pro sua in me benevolentia specimen Myosotidis mecum communicavit, quae uliginosa sibi audit, quaeque ab hacce diversa videtur quantum quidem e sicco specimine judicare licet, caule glabro flaccidiore, floribus secundis.

Ad No. 150. Myosotis arvensis β. sylvatica, caule debili decumbente bipedali et longiore, foliis inferioribus spathulatis in petiolum longum attenuatis, superioribus oblongo-lanceolatis, pedicellis elongatis fere uncialibus rigidissimis. M.

intermedia Link Mspt. hujus loci videtur. — In sylvis atque dumetis prope Neobrandenb. haud infrequens.

14. Myosotis arenaria Schrad.

M. caulibus erectis ramosis strictis, foliis spathulato-ellipticis obtusis, floribus subsecundis, calycibus urceolatis erectis subsessilibus.

Habitat in campis arenosis inter segetes frequens. Jul. Aug.

Hujus plantae, nobis minime rarae, specimen a Schradero denominatum mihi missum est, et tantae auctoritati innitens propriam speciem eam declarare non haesitavi, quamquam Myos. arvensi nimium affinis mihi videatur. Dijudicet Illustr. Vir, an recte plantam delineaverim.

Ad No. 154. Anchusa officinalis β. foliis angustioribus lineari-lanceolatis strigosis, corollis albis, calycibus tubo corollae brevioribus. — in sterilioribus inter segetes. rarius Julio.

Ad No. 173. Campanula rotundifolia occurrit rarius corollis niveis.

15. Campanula bononiensis L.

C. foliis subtus tomentosis radicalibus cordato-ovatis longe petiolatis, caulinis inferioribus snblyratis subpetiolatis, superioribus ovato-lanceolatis sessilibus, caule paniculato. L. Sp. pl. ed. W. 1. p. 901.

Habitat in dumetis et sylvaticis haud infrequens — ad pagos Lübbersdorf, klein Nemerow et hinter der Krappmühle. Jul. Aug.

Variat panicula simplici, floribns solitariis subsecundis et panicula ramosa floribus sparsis binis ternisve.

C. ruthenica M. Bieberst. (Fl. taur. caucas.) quam e seminibus ex Hort. bot. Berol. colui, solis segmentis calycinis canescentibns erectis, nec, ut in priore, reflexis differt; folia caulina inferiora itidem sublyrata vel petiolo alata sunt et certe mera varietas est.

Ad No. 184. Verbascum Thapsus L. foliis decurrentibus crenulatis tomentosis, superioribus acutis, racemo spicato denso, corollae subrotatae laciniis oblongis obtusis, antheris subaequalibus. Schrad. Monograph. Verbasc. I. p. 17.

β. sylvaticum, caule elatiore 3-4-pedali, foliis tenuioribus subviridibus levissime tomentosis, corollis minoribus. — prope Neobrandenb. im Nemerow. Holz. Jul.

Haec varietas, quam cum aliis hujus generis speciebus ad Cel. Schrader transmisi, casu cum V. Lychnit. confusa et sic Thapsi synonymon facta est (Schrad. Monogr.) Confusi tamen modo fuere numeri nec ipsae plantae; verum Verb. Lychnitis in flora nostra minime rarum est.

16. Verbascum thapsiforme Schrad.

V. foliis decurrentibus crenulatis tomentosis, superioribus acuminatis, racemo spicato elongato, corollae laciniis obovatis rotundatis, antheris duabus oblongis. Schrad. l. c. 1. p. 21.

Habitat in collibus et agris sterilioribus, praecedente multo frequentius. Jul. Septbr.

17. Verbascum Phlomoides L.

V. foliis crenatis tomentosis, radicalibus ellipticis, l. ovato-ellipticis petiolatis cuspidatis leviter decurrentibus, racemi fasciculis remotiusculis, antheris duabus oblongis. Schrad. l. c. 1. p. 29.

Habitat in ruderatis et incultis rarius. — prope Neobrandenb. hinter Belvedere. Aug.

18. Verbascum collinum Schrad.

V. foliis crenatis tomentosis, inferioribus elliptico-oblongis petiolatis, caulinis intermediis oblongo-lanceolatis acutiusculis basi attenuatis, superioribus oblongis acutis leviter decurrentibus, racemi fasciculis remotis, antheris aequalibus. Schrad. l. c. I. p. 35. t. 5. f. 1.

Variat caule humiliore, racemo simplicissimo, florum fasciculis remotis; et caule ultrabipedali,

racemo uno alterove ramulo instructo, fasciculis florum densioribus. Corollae majores iis Verb. nigri.

Habitat in ruderatis graminosis rarius. — prope Neobr. α. auf dem Stadtwall, β. bei der Walkmühle. Jul. Aug.

19. Verbascum ramigerum Link.

V. foliis tenuissime tomentosis, radicalibus oblongo-lanceolatis caulinisque oblongis acutis duplicato-crenatis semidecurrentibus, summis acuminatis, ramis paniculatis, fasciculis remotis multifloris, antheris aequalibus. Schrad. l. c. I. p. 37. tab. 4.

Habitat in collibus dumetosis rarissime; semel tantum occurrit mihi spectabilis haec planta prope Stargard hinter dem Schloſs. Aug.

Ad No. 185. Verbascum Lychnitis L. foliis crenatis supra nudis subtus canescenti-tomentosis, radicalibus obovato lanceolatis in petiolum attenuatis caulinis inferioribus oblongo-lanceolatis petiolatis, superioribus lanceolatis acuminatis sessilibus, racemo paniculato virgato. — copiose ad pagum Wittenhagen am Wege nach der Meyerey Tornowhof, et prope Neu-Strelitz. Jul. Aug.

20. Verbascum Moenchii S.

V. foliis obtusiusculis subcrenatis subtus albo-tomentosis, radicalibus et caulinis inferioribus oblongis basi attenuatis petiolatis, superioribus cordatis acuminatis sessilibus, racemo paniculato.

V. Lychnitis β. Autorum plurium.

V. album Moench (Method. p. 447.) V. Lychnitis Smith (fl. britan.)

Habitat in collibus sterilioribus infrequens. — prope Stargard am Schloſsberg. Jul. Aug.

Non possum quin hancce plantam, quam Autorum plurimi praecedentis varietatem declarant, pace V. V. C. C. propriam speciem habeam; differt enim ab illa statura minore at robustiore, foliis latioribus obtusioribus subcoriaceis subtus saepe

niveo-tomentosis obsolete crenatis, basi integerrimis, caulinis superioribus et floralibus cordato-acuminatis, racemo densiore sed ramis brevioribus, floribus duplo saltem majoribus, pedicellis calycibus capsulisque densissime lanatis, corollis minoribus constanter lacteis, exsiccatione semper roseis vel dilute purpureis, antheris croceis. V. Lychnitis contra foliis utitur tenui canescenti tomento subtus tectis, radicalibus obovato-lanceolatis cuneatis, evidentius praesertim basi crenatis caulinis valde acuminatis, supremis lineari-lanceolatis, paniculae ramis longissimis virgatis, corollis majoribus, constanter in vivo siccove statu flavis, antheris pallide luteis.

Ad No. 185. Verbascum nigrum L. variat rarius corollis albis. Aliam varietatem legi prope Stargard am Schloſsberg, quae quasi in V. Lychnit. transit; caule 3-4-pedali, foliis lenissime subtus canescenti-tomentosis crenatis, radicalibus et caulinis inferioribus late ovatis in petiolum attenuatis minime cordatis, panicula ramosissima, ramis sesquipedalibus, calycibus albo-tomentosis, corollis speciosis flavis, staminibus tamen violaceis.

21. Erythraea ramosissima Persoon.

E. caule ramosissimo divaricato dichotomo, floribus ex dichotomia terminalibusque, calycibus ebracteatis, corollae tubo, brevioribus, foliis inferioribus ovatis. Wallroth Ann. botanic. p. 35.

Habitat in pratis humidis passim. — ad pag. Gaartz an der Müritz. Aug. Amiciss. a Kamptz legit mecumque communicavit.

Propria species sine dubio et ab Erythraea Centaurium Persoon (Chironia Centaurium Prodr. No. 191) distinctissima. Haud minus vero a nostra distinctam habeo Erythraeam pulchellam (Chiron. pulchell. Swartz.) in Duc. Megap. Swerinens. ad littora maris baltici frequentem, nostrae florae hucusque exulem; recedit caule simplicissimo unifloro, foliis caulinis

ovatis patentibus, calycibus tubo corollae duplo brevioribus et habitu toto multum teneriori.

Ad No. 194. Evonymus europaeus L.

β. E. angustifolius, ramis strictioribus foliis oblongo-lanceolatis longe acuminatis basi attenuatis tenuissime serratis. — in sylvaticis humidis prope Neobrandenburg. am Trollenhag. Berg et ad pag. klein Nemerow am Rande der Tollensee. Jun. Vix nisi varietas E. europ. est; folia in hoc frutice valde variant: primordialia l. juniora plerumque angustiora magisque acuminata, aetate provectiora in latitudinem potius excrescunt et saepe subrotunda, basi subcordata evadunt; inflorescentia characteres distinctivos mihi nunquam praebuit.

22. Ulmus suberosa Ehrh.

U. foliis duplicato-serratis basi inaequalibus, floribus subsessilibus conglomeratis tetrandris, fructibus glabris, cortice ramulorum suberoso-alato. L. Sp. pl. ed. W. 1. p. 1324.

Habitat in sylvestribus infrequens. — prope Neobrand. am Tollensee hinter Belvedere. aestate.

Nostrae florae tantum est var. β. fruticosa Willd. ideoque florentem nondum legi; folia hujus semper basi inaequalia vidi; singularis illa corticis degeneratio in ramis minoribus ramulisque tantum obvia in trunco et ramis majoribus nunquam invenitur.

Ad No. 223. Gentiana germanica Willd. a G. Amarella L. certe non diversa est; specimina elatiora cum humilioribus promiscue legi et tunc internodiis in illis ramos breviores et corollae lacinias angustiores lanceolatas observavi, in his omnia se habent ratione inversa.

Plantarum umbelliferarum genera omnia emendanda sunt e praestantissimo Summi Sprengelii opere: plantar. umbellif. denuo disponendar. prodromus. Hal. 1813.

Ad.

Ad No. 234. Heracleum Sphondylium L. Quam hic memoravi var. angustifoliam, specie distinguere non valeo; Willdenowius quidem propriam speciem declaravit. (Heracl. flavescens W. Spec. pl. I. p. 1421.) at in meis speciminibus limites certos frustra quaesivi.

Ad No. 243. Cicuta virosa β. var. stricta caule simplicissimo erecto stricto, foliis erectis, foliolis tenuissimis linearibus, umbellis planis, radice fibrosa. — in turfosis paludosis ad pag. Eichhorst auf der Pfarrwiese et prope Neobr. hinter der Kuhweide. Jul. Aug.

Ad No. 252 et 254. Pimpinella magna W. et dissecta Retz. — Amiciss. Treviranus (Obs. botan.) priorem P. Saxifragae varietatem declarat, et sane me sibi plane consentientem habet; pro soli diversitate tot specimina intermedia occurrunt ut limites omnino evanescant. At vero nec P dissectam amplius distinguo, quae certo Saxifragae magis adhuc cognata est quam magna, id quod exemplaribus instructivis comprobare possum. Recte itaque Smithius egit (Fl. britan.) dum P. Saxifragam subpubescentem designavit et dissectam varietatis lege ei adsociavit.

23. Corrigiola littoralis L.

C. floribus pedunculatis, calycibus margine membranaceis. L. Sp. pl. ed. W. I. p. 1506.

Habitat in arenosis rarius. — prope Neustrelitz ad pag. Langhagen. aestate. a Kamptz.

Ad No. 262. Statice Armeria est Armeria vulgaris W., scapo tereti glabro, calycis communis foliolis exterioribus acutis, foliis linearibus planis obtusis. Willd. Enum. hort. bot. Berol. p. 333.

24. Drosera anglica Smith.

D. scapis erectis, foliis obverse lanceolatis, stigmatibus clavatis. Roemer in Smith fl. britan. I. p. 347.

Habitat in paludosis turfosis exsiccatis raro. — ad pag. Krumbek in dem Bruch hinter dem Hofgarten Aug.

Dr. longifolia differt scapis adscendentibus, foliis ovalibus, stigmatibus emarginatis, et statura triplo minore.

HEXANDRIA.

Ad No. 268. Allium carinatum est Allium arenarium L. caule planifolio bulbifero, vaginis teretibus, spatha mutica, staminibus tricuspidatis. L. Sp. pl. ed. W. II. 69. — frequentius habui ad pag. klein Nemerow im Hofgarten.

25. Allium oleraceum L.

A. caule teretifolio bulbifero, foliis scabris canaliculatis subtus sulcatis, staminibus simplicibus Smith britan. I. 358.

Habitat inter segetes inque collibus arenosis. — prope Neobr. am Trollenhag. et Stargard. Berg. infrequens. Jul. Aug.

Ad No. 270 Ornithogalum luteum L. folio radicali solitario lineari plano, floralibus pluribus, pedunculis simplicibus subumbellatis, petalis acutiusculis glabris, bulbis aggregatis. Willd. Enum. h. b. Berol. p. 368.

β. geniculatum, scapo folioso geniculato, folio caulino unico in axilla bulbillum ferente patentissimo. — in sylvis depressis, prope Neobr. im Nemerow. Holz. Majo.

26. Ornithogalum sylvaticum Persoon.

O. folio radicali lineari-lanceolato solitario plano, floralibus binis, pedunculis simplicibus subumbellatis, petalis obtusis glabris, bulbo solitario. Willd. l. c. p. 368.

Habitat in graminosis frequens. Neobrandenburgi auf den Stadtwällen. Aprile.

Ad No. 271. Ornithogalum minimum est Ornithogalum villosum Marsch. Bieberst. (Fl. Tauric. Caucas. 1. p. 274.) foliis radicalibus geminis, floralibus imis oppositis, pedunculis ramosis corymbosis petalisque hirsutis. Willd. Enum. p. 368. — copiose obvium prope Neobr. vor dem Nemerow. Holz.

27. Ornithogalum nutans. L.

O floribus secundis pendulis, filamentis latissimis campanulatis. Sprengel. L. Sp. pl. ed. W. II. p. 125.

Habitat in graminosis. hortis pinguioribus. — prope Wolfshagen, et ad pagum Prillwitz im Schloſsgarten rarius. Majo. Jun.

28. Anthericum Liliago. L.

A. foliis corollisque planis, scapo simplicissimo, pistillo declinato. L. Sp. pl. ed. W. II. 141.

Habitat in pinetis sylvestribus passim. — ad pagos Weitin et Wulkensin. Jul. Dr. Brückner fil.

29. Anthericum ramosum. L.

A foliis corollisque planis, scapo ramoso, pistillo recto. L. Sp. pl. ed. W. II. 138.

Habitat in sylvis nemorosis infrequens. — prope Friedland im Ramelow. Holz. Jul.

Ad No. 282. 283. Juncus articulatus et sylvaticus inde a Linnaei temporibus miro modo hallucinationibus ansam praebuerunt, cum mox diagnoses mox synonyma confusa fuerint. (vid. L. Sp. pl. ed. Willd. Roth fl. germ. Smith britan. Schultz Stargard. rel.) Solus Ehrhartus species rite eruit atque delineavit; aptius itaque videtur ejus denominationes atque diagnoses adhibere ut harum specierum commutationibus demum fines terminique constituantur.

Juncus acutiflorus Ehrh. radice repente, culmis erectis foliolis calycinis acuminatis aequalibus J. articulatus fl. Starg. Ehrh. Gram. No. 66.

30. Juncus lampocarpos Ehrh.

J. radice fibrosa, culmis adscendentibus, foliolis calycinis inaequalibus, interioribus obtusis membranaceis. Ehrh. Gram. No. 126.

Habitat praecedente frequentior in pratis humidis. Jul. prope Neobrandenb. auf allen Wiesen.

Juncus obtusiflorus Ehrh. radice repente, culmis erectis, foliolis calycinis obtusis aequalibus. Ehrh. Gram. No. 76.

J. sylvaticus fl. Stargard. — Synonyma maxime confusa extricare meum non est, et partim omnino fieri nequit; nam Linnaeus et Smithius J. obtusiflorum ab acutifl. specie non distinguunt; Rothius J. lampocarp. non agnovit et foliola calycina neglexit; Willdenowii demum aliorumque diagnoses partim huic partim illi competunt: sic J. articulato culmum adscendentem attribuunt simulque petala (foliol. calyc.) obtusa, quae J. sylvatico potius competunt, qui vero pro sua parte culmo erecto gaudet nec adscendente. Sufficit mihi plantas florulae nostrae rite perquirere et diligenter designare.

31. Juncus Tenageja. L.

J. radice fibrosa culmis erectis dichotomis, floribus solitariis sessilibus, foliolis calycinis ovatis acutis, capsula subglobosa.

Habitat in limosis inundatis rarius. — prope Neobrand. am Rande des kleinen Ihlpols. Jul. Aug.

Ad No. 289. Berberis vulgaris satis frequens crescit in dem Gebüsch am Trollenhagen. Berg.

Ad No. 293. Rumex Nemolapathum. — Cel. Sprengel (Fl. Halens.) hanc speciem R. crispi varietatem declarat, at, pace Summi Viri, utramque bene distinctam habeo, priorem nimirum: statura minore vix 3-pedali, habitu squarroso, ramis foliisque divaricatissimis, subplanis crenulatis, valvulis oblongis graniferis, granulo gibboso respectu valvularum maximo; ulteriorem contra: caule altiore, 5-6-pedali, strictiore, ramis foliisque

erectis, margine undulato - crispis, valvulis cordato-ovatis, granulo respectu minore.

Ad No. 291. Rumex Hydrolapathum Huds. floribus hermaphroditis, foliis lanceolatis acuminatis basi in petiolum decurrentibus, valvulis ovatis subintegerrimis graniferis.

32. Rumex aquaticus L.

R. floribus hermaphroditis, valvulis cordatis subintegerrimis nudis, foliis radicalibus cordatis obtusis.

R. aquaticus L. Sp. pl. ed. W. II. 255.

Habitat in pratis spongiosis paludosis frequens. — prope Neobrandenb. im Stargard. und Brüderbruch. Jul. Aug.

Equidem haud concipio quo fato distinctissima haec planta recentiore tempore tantis nebulis tenebrisque obruta fuerit. Antiquiores botanici, ni fallor, ad ulteriores Specierum plantar. editores usque plantam rite distinxerunt, Willdenowio non excepto; siquidem recte eam in subdivisione — valvulis granulo destitutis — collocaverit. Nuperius tamen Smith (Fl. britan.) et cum eo Sprengelius noster (Fl. Halens.) R. aquaticum Hydrolapathi varietatem declaravit, quibus et Willdenowius (Enum. h. b. Berol.) demum adsensit, ita quidem ut R. Hydrol. speciem, aquaticum autem varietatem constituerit. Quaevis vero quantaque sit synonymorum confusio et ambiguitas, species ipsae certe distinctissimae habendae sunt quod ex mera diagnosi patet. Wahlenbergio quidem (Fl. Lappon.) non satis liquet „numne R. aquatici valvulae provectiori aetate granula acquirant;" at centena specimina perfecto maturitatis statu perquisivi, sed ne vestigium quidem granulorum unquam observavi. Forte subsequens species his erroribus ansam praebuit.

33. Rumex heterophyllus S.

R. floribus hermaphroditis, foliis radicalibus oblon-

gis acutis, basi obliquis ovatis cordatisve; valvulis cordatis dentatis graniferis.

R. acutus fl. Stargard. No. 295.

Habitat in pratis paludosis sylvestribus passim. — prope Neobrandenb. im Brüderbruch und im Werderbruch. Jul. Aug.

Rumex acutus L. est planta difficillima; viros experientissimos de vera Linnaeana stirpe jam video dissentientes, dum alii R. nemolapathum Ehrh., alii R. obtusifolii varietatem, iterumque alii R. nemorosum Schrad. pro illo habeant. (Trevirani obs. botan.) Quae cum ita sint, non veram Linnaeanam plantam me invenisse dubiamque extricasse amplius praetenderem, quamvis locus natalis atque diagnosis a Smithio data (nec vero descriptio et synonyma) meae plantae perbene respondeant. Aptius itaque duxi proprio nomine salutare plantam quae R. Hydrolapatho statura et magnitudine proxima quidem est, ab eo tamen recedit: foliis latioribus ovato-oblongis acutis, basi l. ovatis obliquis. i. e. altero latere magis protractis, l. exacte cordatis; pedicellis tenuioribus vix apice incrassatis, valvulis majoribus cordatis cristato-dentatis, granulo respectu valvularum minore et foliolis calycinis reflexo-patentibus.

R. Hydrolapathum gaudet foliis glaucescentibus, omnibus lineari-lanceolatis longe acuminatis, basi pedetentim angustatis et utroque latere aequaliter in petiolum decurrentibus subintegerrimis, pedicellis robustioribus apice incrassatis, valvulis ovatis oblongis integerrimis, basi foliolis calycinis arcte adpressis, tectis, granulo maximo.

R. aquaticus demum differt: foliis radicalibus exacte cordatis basi late expansis angulis rotundatis, caulinis inferioribus cordato-lanceolatis, omnibus obtusiusculis, valvulis cordatis tenuissimis membranaceis subpellucidis eleganter reticulatis integerrimis, l. vix uno alterove dente instructis, omnino nudis. — Cel. Gmelin (Fl. badens.) hanc

speciem et R. Hydrolap. sub suo R. maximo comprehendisse videtur.

Ad No. 302. Alisma Plantago, foliis cordato-ovatis obtusiusculis, fructibus obtuse trigonis.

34. Alisma lanceolata Wither.

A. foliis oblongo-lanceolatis acuminatis in petiolum attenuatis, fructibus trigonis.

Habitat in paludibus infrequens. aestate.

Hujus plantae jam in prodromo mentionem feci; cum vero foliis constanter diversam eam observarim a praecedente, quae nunquam non folia basi cordata habet, propriam speciem statuere liceat, quam Withering, Ruppius aliique distinxerunt.

OCTANDRIA.

Ad No. 309. Epilobium montanum L. caule subsimplici tereti, foliis ovatis acutis dentatis subsessilibus, stigmatibus quadripartitis, variat foliis ternatis.

35. Epilobium roseum Schreb.

E. caule ramoso subtetragono, foliis oblongis utrinque acutis dentatis petiolatis, stigmatibus clavatis indivisis. Schreb. Spicil. fl. Lips.

E. montani var. Fl. Stargard.

Habitat in uliginosis. Jul Aug. — prope Neobr. bei der Walkmühle unter Broda.

Hoc umbrosa uliginosa, praecedens nemorosa editiora amat et certe distincta species est. Cel. Smith (Fl. britan.) interrogat an forte varietas E. tetragoni habendum sit; hoc vero recedit caule stricto, foliis triplo angustioribus lineari-lanceolatis vix nervosis et toto habitu alieno; nostrae florae exul caeterum subalpina incolit.

Ad No. 323. Polygonum Fagopyrum L., Asiae incola et nostrae florae vix nisi hospes, relegandum est.

36. Polygonum lapathifolium L.

P. floribus hexandris digynis, stipulis muticis, pedunculis scabris, seminibus utrinque depressis L. Spec. pl. ed. W. II. p. 442.

Habitat in ruderatis et agris glareosis nuper stercoratis inter segetes. aestate.

DECANDRIA.

Ad No. 335. Pyrola umbellata, planta nitidissima, in sylvis acerosis prope Neustrelitz vulgaris.

Ad No. 343. Gypsophila muralis L. — Hujus meram varietatem habeo G. serotinam Haynii, Willd. Enum. h. b. Berol. 464. Folia internodiis nunc breviora, corollae mox emarginatae mox crenulatae, saepe integrae sunt; utriusque imagines copiose legi promiscue crescentes in agro nostro am Rande des kleinen Ihlpols. Aug. Septbr.

Ad No. 344. Saponaria officinalis L. e rarioribus planta frequentius occurrit in pago Ganzkow zwischen den Gärten am Kirchhof.

Ad. No. 353. Stellaria nemorum L. — Hujus mera varietas mihi videtur St latifolia Persoon. quae foliis majoribus, pedunculis minus ramosis et totius plantae hirsutie tenuiore recedit ab illa, quacum associata saepe occurrit in alnetis.

Ad No. 357. Stellaria crassifolia Ehrh., quae utplurimum caule digitali stricto, vix semipedali est, in pratis nostris sylvaticis caule sesquipedali flaccido occurrit.

37. Arenaria tenuifolia L.

A. foliis connatis subulatis, caule paniculato, foliolis calycinis lanceolatis acuminatis capsula longioribus L. Sp. pl. II. 725.

β. viscosa, glandulis stipitatis tota pubescens. Arenaria viscidula Thuillier Fl. lutet. 219.

Habitat in agris arenosis apricis passim — prope Neobrandenb. vor dem Nemerow. Holz, und am Galgenberg. Jun. Jul.

Varietas β. quam alio loco, et quidem sabuloso sterilissimo, legeram, primo intuitu diversa mihi videbatur; postea vero inter specimina alio loco lecta, maximam partem glabra, nonnulla pubescentia inveni, quae essentialibus ab illis non diversa sunt et genuinis a Thuilliero datis, et ab amiciss. Mertens benevole communicatis exactissime quadrant.

Ad No. 367. Oxalis corniculata L. nobis minime rara et in hortis nostris suburbanis herba est difficile exstinguenda; O. stricta vero in florula nostra nunquam mihi obvia fuit.

Ad No. 373. Cerastium vulgatum L. caulibus diffusis hirsutis, foliis ovatis obtusis, petalis calyci aequalibus.

β. foliis subrotundo-obovatis. Cerastium ovatum Persoon.

Habitat in nemorosis graminosis passim. Jun. Jul.

Cerast. ovatum Persoon. e nonnullis speciminibus omnino distingui potest, dantur autem intermedia, quae transitum in C. vulgatum luculenter demonstrant.

DODECANDRIA.

38. Euphorbia palustris L.

E. umbella multifida subtrifida, bifida, involucellis ovatis, foliis lanceolatis, ramis sterilibus. L. Sp. pl. ed. W. II. 922.

Habitat in humidis ad fossas rarius. — prope Friedland am Landgraben, ubi ante hos triginta annos Celeberr. Sprengel legit; ipse quidem plantam in patria nondum observavi, at tantae auctoritati cedens indigenis eam adnumerare nullus haesitavi.

ICOSANDRIA.

Ad No. 392. 393. Crataegus Oxyacantha et monogyna ad genus Mespilus revocandae sunt. vid. Willd. Enum. h. b. Berol.

Ad No. 399. Spiraea Ulmaria duas species diversas comprehendere videtur, quarum altera caule robustiore purpurascente, foliis subtus cano-tomentosis, foliolis lanceolatis acuminatis margine plicato-crispis serratis, serraturis elongatis apice callosis, floribus majoribus, — altera foliis subtus niveo-tomentosis glaucescentibus, foliolis lanceolatis serratis planis et floribus minoribus differt, quasque sequentibus definire tentarem: Spiraea Ulmaria L., foliis pinnatis subtus cano-tomentosis, foliolis lanceolatis acuminatis serratis, margine plicato-crispis, terminali trilobo, corymbis proliferis.

39. Spiraea glauca S.

S. foliis pinnatis subtus niveo-tomentosis glaucis, foliolis lanceolatis acutis serratis planis, terminali trilobo, corymbis proliferis.

Habitat in paludosis passim. — prope Neobrandenburg. vor dem Burg-Holz. Jul. Aug.

Ad No. 400. Rosa arvensis florae nostrae exul habenda et omnino delenda est.

Ad No. 401. Rosa villosa L. — Hujus merae varietates sunt:

β. R. mollissima, fructibus subglobosis glabris pedunculis hispidis, caule petiolisque aculeatis, foliis tomentosis L. Sp. pl. ed. W. II. p. 1069.

γ. R. tomentosa Smith, fructibus ovatis pedunculisque hispidis, aculeis caulinis aduncis, foliolis ovatis utrinque tomentosis. Smith. britan. II. p. 539.

R. villosa quoad staturam fructuumque figuram valde variat; in eodem frutice fructus globosi, elliptici et ovati inveniuntur qui plerumque hispidi, nonnunquam basi modo hispidi superne glabri et saepius toti quanti glaberrimi; foliola quoque magis minusve ex ovali l. elliptica forma in ovatam acutam transeunt, nec aculei caulini semper recti sunt.

40. Rosa collina Jacqu.

R. fructibus ellipticis pedunculisque glabris, foliolis ovatis, subtus cum petiolis aculeatis glandulosis cano-tomentosis, aculeis caulinis sparsis. Jacqu. austr. II. p. 58. t. 197.

Habitat in dumetis et collibus haud infrequens.

A tripedali ad sexpedalem altitudinem variat; foliola ex rotundo ovata, obtusiuscula subtus incana villosa, nunquam venis tantum pubescentia, petioli villosi, aculeis parvis glandulisque stipitatis sparsis obsiti, plerumque recurvati et quasi articulati; fructus in nonnullis fere globosi, in aliis perfecte ovati; pedunculos in nostra semper glaberrimos inveni, attamen unicum specimen in Herbar. Cel. Mertens vidi cui pedunculi glandulis stipitatis rigidis obsiti erant.

41. Rosa glutinosa S.

R. fructibus subglobosis pedunculisque glabris, aculeis sparsis, ramis floriferis subinermibus, foliolis

ovato-oblongis utrinque acutis subtus scabris, petiolis pubescentibus glandulosis.

Habitat in collibus sylvestribus dumetosis passim. — prope Neobrandenb. auf dem Weitin-schen Felde am Wege nach der Krappmühle und bei Belvedere Jun. Jul.

Frutex 5-6-pedalis, aculeatus, aculeis caulinis sparsis validis compressis castaneis basi maxime dilatatis curvatis; rami floriferi subinermes, l. uno alterove aculeo stipati; folia quina septenave flavescenti-viridia opaca suaveolentia, foliola pedicellata ovato-oblonga acuta, basi attenuata duplicato-serrata serraturis acutis glanduloso-ciliatis, supra glabra subtus venis pubescentia glandulisque stipitatis scabra et in vivo statu valde viscosa; petioli aculeati pubescentes glandulosi; stipulae lanceolatae acutae margine glanduloso-serratae; flores subcymosi, pedunculi 3-5-6, cum germinibus glaberrimi, foliola calycina lanceolato-linearia, nonnulla pinnatifida, dorso glandulosa apice pilosa, interiore facie pubescentia; corollae pallidae, iis R. rubiginosae minores, petala vix emarginata; fructus subglobosi, l. elliptici, interdum obverse conici et pomiformes, maturi atropurpurei.

Proxima est R. rubiginosa; haec autem recedit tota aculeatissima foliolis subrotundo-ellipticis basi subcordatis obtusissimis sessilibus, pedunculis fructibusque ovatis spinosissimis, petiolis glandulosis nudis. — Clariss. Wallroth (Ann. botan.) ad suam R. grandifloram hancce meam dubie e Flor. Stargard. citat, at ne verbo quidem ibi memorata est; quodsi itaque plantae notitiam acquisiverit, id solummodo e Manuscripto hujus supplementi fieri potuit, quod jam 1812. cum speciminibus R. glutinosae ad Celeberr. Sprengel transmisi. —

Ad No. 402. Rosa rubiginosa L. variat, quamvis rarius, germinibus subglabris; reliquae a b. Willdenowio (Enum. h. b. Berol.) citatae varietates, quatenus ad florum numerum foliorum-

que magnitudinem spectant, vix memoratu dignae sunt, quas quippe in eodem frutice saepe colligere poteris.

Ad No. 403. Rosa canina occurrit fructibus oblongis, ovatis, ellipticis et subglobosis, petiolo inermi vel parvis aculeis glandulisve exasperato; diversa species tamen videtur subsequens

42. Rosa sylvestris Schranck.

R. fructibus subglobosis pedunculisque glabris, aculeis stipularibus, foliolis ovatis acutis subtus cum petiolo pubescentibus. — Schranck Fl. bavar.

Habitat in dumetis et sylvaticis passim. — prope pag. klein Nemerow hinter dem Hofgarten am Tollensee. Jul.

Ad No. 405. Rubus caesius L. foliolis ternatis inciso-serratis subtus pubescentibus, lateralibus bilobis, foliolis calycinis ovatis acuminatis tomentosis, caule aculeato tereti fructuque caesio.

β. calycibus pedunculisque glandulis stipitatis fuscis obsitis.

Ad No. 406. Rubus corylifolius Smith, foliis subquinatis inciso-serratis subtus pilosis, lateralibus sessilibus, panicula foliacea, pedunculis subunifloris, calycibus nudis albo-marginatis inflexis; variat: floribus pallide roseis.

Cel. Smith huic aculeos rectiusculos, fruticoso curvatos adscribit; re vera autem hujus et sequentium aculei, caeterumque varii, in caule et paniculae superiori parte rectiusculi, in petiolis adunci inveniuntur. — Caeterum Illustr. Vir sub R. fruticoso duas diversas species comprehendisse et ab utraque characteres mutuatus esse videtur, quas sequentibus distinguendas censeo:

Rubus fruticosus L. foliis subquinatis mucronato-serratis subtus albo-tomentosis, foliolis petiolatis, panicula sub-aphylla, pedunculis multifloris, calycibus tomentosis reflexis.

Caules purpurascentes, floriferi villosi glandulosi, aculei praelongi saepius recti basi purpurei; foliola omnia petiolata acuminata, supra atro-viri-

dia glaberrima subnitida, subtus albida tomento denso brevissimo tecta; panicula densa thyrsoidea superne aphylla, pedunculi communes subcymosi, 4-6-flori, calyces tomentosi ovati, foliola ovata acuminata reflexa et petala constanter alba.

43. Rubus horridus S.

R. foliis subquinatis inciso-serratis subtus villosis, lateralibus sessilibus, panicula foliacea, pedunculis paucifloris, calycibus tomentosis inflexis.

Habitat in sylvaticis frequens. — prope Neobrandenb. bei Belvedere et alibi. Jun. Jul.

Differt a praecedente caulibus pallide-viridibus nudiusculis, floriferis pubescentibus uti petioli pedunculique, aculeatissimis, aculeis concoloribus brevioribus utplurimum curvatis; foliis obtusioribus, pallide seu flavescente-viridibus, supra parce pilosis, subtus villosis l. pubescentibus, inciso-serratis, lateralibus omnino sessilibus; panicula rara superne subvillosa, pedunculis elongatis 1-2-3-floris, calycibus inapertis globosis turgidis, foliolis subrotundis acuminatis demum patenti-inflexis concavis, petalis constanter roseis, staminibus numerosissimis, unde florum nondum apertorum moles.

Ad No. 415. Potentilla opaca L. — Clariss. Gmelin (Fl bad. II. p. 450.) hanc plantam non confundendam esse ait cum Linnaeana, quippe quae vix unquam in Germania, sed in alpinis Helvetiae, Austriae crescat. At Sprengelius noster litteris monet se comparatis Linnaei descriptionibus et iconibus ab ipso citatis, persistere in adseveratione nostram plantam veram esse Linnaeanam. Ipse enim ait (Amoen. acad. IV. p. 274.) similem esse P. vernae, sed diversam: foliis radicalibus septenatis magis villosis, caulibus magis filiformibus et radice atra, quae omnino quadrant in plantam nostram.

Variat in muris collibusque sterilibus foliis radicalibus novenis et caule robustiore.

Ad No. 414. Potentilla verna L. interim delenda est; non enim genuinam stirpem hucusque legi sed praecedentis varietatem depauperatam.

44. Tormentilla reptans L.

T. caule prostrato subsimplici, foliis petiolatis. L. Sp. pl. ed. W. II. p. 112.

Habitat in graminosis humidis turfosis passim. — ad pagum Ballin. Jul. prope NStrelitz. ab Oertzen.

POLYANDRIA.

Ad No. 420. Actaea spicata L., rara nobis adhucdum planta, in nemore: die Wüsteney, bei der rothen Kirche quoque occurrit.

Ad No. 427. Tilia europaea L. jam olim a Scopolio et Hofmanno, nuperius quoque a Willdenowio in duas species diducta est sic definiendas:

Tilia europaea L. foliis cordatis basi inaequalibus, axillis venarum subtus pilosiusculis, floribus nectario destitutis, fructibus angulatis. Willd. Enum. h. b. Berol. p. 565.

45. Tilia microphylla W.

T. foliis profunde cordatis glabris, axillis venarum subtus barbatis, floribus nectario destitutis, fructibus globosis laevibus. Willd. l. et pag. cit.

Habitat utraque in nemoribus humidiusculis; ulterior, quasi domestica, frequentius in pagis et suburbiis.

Ad No. 428. Cistus Helianthemum L. jam audit Helianthemum vulgare Link., suffruticosum procumbens, stipulis lanceolatis, foliis oblongis revolutis subpilosis. Willd. Enum. h. b. Berol. p. 571.

Ad No. 430. Aquilegia vulgaris L. semel tantum et unicum specimen mihi occurrit in loco memorato, ubi casu forte enata nec amplius invenienda est; delendam itaque habere malo, quam dubiis vexare florulam nostram.

Ad No. 431. sequ. Anemones genus jam in tria diversa genera dispescitur, Hepatica, nimirum, Pulsatilla et Anemone, quorum characteres videas Willd. Enum. h. b. Berol. p. 580. sequ.

46. Thalictrum majus Jacqu.

T. foliis tripinnatis, foliolis subcordatis trifidis obtusiusculis subtus glaucis, panicula ramosissima foliosa, floribus cernuis. L. Sp. pl. ed. W. II. 1297. Smith. brit. II. 585.

Habitat in nemoribus apertis rarius. — prope Friedland in dem Ramelow'schen Holz. Jul.

Caule adscendente orgyali et altiore purpurascente, foliis obtusioribus subrotundis subcordatis atroviridibus subtus glaucis, panicula ramosissima divaricata, ramis inferioribus pluribus e foliorum axillis, hoc a Th. minore recedit; Smithius quidem huic quoque folia subtus glauca et caulem rore caesio nebulosum adtribuit, quod quidem nunquam observavi.

DIDYNAMIA.

Ad No. 456. Mentha nemorosa W. et sylvestris L. non nimis clare a Willdenowio delineatae sunt; diagnoses enim partim huic partim illi quadrant; collatis tamen millenis speciminibus jam persuasum me habeo nostram plantam esse M. sylvestrem sic definiendam:

Mentha sylvestris L. spicis cylindricis acutis basi interruptis, foliis oblongo-lanceolatis acutis serratis subsessilibus, subtus cano-tomensosis. L. Sp. pl. ed. W. III. 74.

M.

M. sylvestris *α.* Smith brit. 609. M. spicata *β.* longifolia Sp. pl. I. 576. M. sylvestris longiore folio Bauh. Pin. 227.

Mentha nemorosa W. spicis oblongis obtusis coarctatis foliis ovatis acutis subcordatis serratis sessilibus, subtus albido-villosis rugosis L. Sp. pl. ed. W. III. 75.

M. sylvestris *β.* Smith l. c. M. gratissima Nonnullor. secundum specimina ex hort. bot. Berol.; in florula nostra mihi nondum obvia.

47. Mentha gratissima Wigg.

M. spicis cylindricis laxis, foliis ovato-ellipticis obtusiusculis subcordatis serratis subsessilibus, subtus albidis villosis rugosis. L. Sp. pl. ed. W. III. 75.

M. sylvestris *δ.* Smith l. c. Wiggers. Primit. fl. Hols. p. 53. Roth fl. germ. II. 2. p. 6.?

Habitat in pratis succulentis rarius. — prope Neobrandenburg. unter Broda bei der Walkmühle. Jul. Aug.

Cum M. sylvestr. nunquam confundenda species, proxima vero est praecedenti M. nemorosae, nisi hanc datis characteribus satis distinctam habere velimus. An M. gratissima Roth huc pertineat ambigo, cum folia acuminata dixerit Cel. Vir, quae semper brevissime acuta modo observavi, et spicas utplurimum ternatas, quae ad M. nemorosam potius quadrant.

Ad No. 458. Mentha aquatica L. — Hujus mera varietas est

M. hirsuta L. quae sola omnium partium evidentiori hirsutie ab illa recedit; utriusque folia breviora, longiora, brevius longiusque petiolata sunt, nec unquam folia sessilia inveni; illa fluminum ripas, haec prata et fossas nostrae florae amat.

48. Mentha parviflora S.

M. floribus verticillatis, foliis subrotundo-ovatis obtusis serratis scabris, calycibus hirtis corollam

subaequantibus, staminibus stigmatibusque inclusis.

Habitat ad ripas lacus Tollensee. Aug. Sept.

Equidem invitus genus perplexissimum ac numerosissimum adaugerem; memorata tamen species tantum a reliquis recedit ut eam regligere vix justum putarem. Caulis erectus rubicundus rigidus pedalis vel sesquipedalis simplex vel ramosus, cum ramis patentibus setis raris deflexis scaber; folia brevius petiolata deflexa, inferiora suborbicularia plerumque purpurea obsolete serrata, media ovata obtusa, superiora acutiuscula acute serrata, omnia setis adpressis scabra, margine cum petiolis ciliata, verticilli pedunculati pauciflori, bracteae lanceolato-subulatae ciliatae, calyces breviter pedicellati tubulati ore paululum dilatati purpurei hirti, laciniis longis subulatis corollam aequantibus; corolla pallide coerulea parva glabriuscula, laciniis obtusis intra calycis lacinias absconditis; stamina inclusa, stigmata ratione congenerum brevissima, vix in defloratis corollam paulo excedentia. Odor plantae gravis camphoratus. — M. gentilis Smith. brit. II. 621. propinqua videtur, ast calyces basi pedicellosque glabros et folia subhirsuta exhibet nec parvitatis corollae mentionem facit Illustr. Vir; caeteroquin plurimis Floristis germanicis, M. gentilis L. difficilis dubiisque vexata stirps videtur.

Ad No. 459. et 460. Mentha sativa et gentilis ad Mentham verticillatam No. 462. reducendae sunt, quam propriam et a M. arvensi utique distinctam speciem omnino habeo. Variat staminibus inclusis, et tunc non differt M. austriaca W. Sp. pl. nec M. acutifolia Smith. brit.

Ad No. 461. Mentha arvensis L. floribus verticillatis densis sessilibus, foliis ovatis utrinque acutis hirsutis serratis, calycibus campanulatis.

α. caule erectiusculo robustiore, foliis late ovatis acutis, staminibus inclusis.

β. caulibus ramosissimis diffusis, foliis parvis ellipticis acutis, staminibus exsertis.

γ. caulibus prostratis ramosis, foliis ovato-lanceolatis utrinque acuminatis, staminibus exsertis.

Habitat prior in fossis exsiccatis, β. in pratis aquosis γ. in turfosis humidis. Omnium calyces brevissimi truncati ore ampliati l. campanulati, fructiferi subglobosi.

Ad No. 470. Betonica officinalis fl. Starg. ut et plurium florar. germanicar. est

Betonica stricta Ait. calycibus hirsutis, lobo medio labii inferioris crenato undulato, spica subcontigua. Sprengel Pugill. 1. plantar. minus cognit. p. 42. B. officinalem Cel. Vir. distinctam vult: calycibus glabris ciliatis, lobo medio labii inferioris emarginato, spica interrupta; at vero B. nostrae florae saepius spica interrupta quoque occurrit ut ideo utramque essentialibus non differre crederem.

Ad No. 476. Ballota nigra est

Ballota vulgaris Link foliis cordato-ovatis serratis hirsutis, calycibus subcylindricis, laciniis acuminatis. Link fl. lusitan. Linnaei Sp. pl. ed. 2. 814. (B. nigra.)

Variat 1. laciniis calycinis magis protractis setaceis; huc pertinet B. foetida Lamark Encyclop.

2. corollis albis.

Haec species bene distinguenda est a B. nigra L. Sp. pl. ed 1. p. 582. Smith brit. II. 635. L. Sp. pl. ed. W. III. 108. (B. alba.) quae recedit foliis ovatis utrinque acutis obtuse serratis, calycibus ore dilatatis, laciniis obtusis brevissime mucronatis. Nostrae florae exul, in Ducat. Megapol. Swerinens. ad littora maris baltici passim reperta est amicissimo Dethardingio.

49. Thymus angustifolius Persoon.

T. floribus capitatis, foliis obverse lanceolatis obtusis ciliatis planis, corolla exserta, staminibus corolla longioribus. Schreb. in Schweigg. et Koert. fl. Erlang.

T. Serpyllum α. ciliatum Prodr. fl. St. No. 482.

Habitat in collibus et ericetis sylvestr. frequens. Jul.

50. Linnaea borealis, floribus geminatis.

L. Sp. pl. ed. W. III. 340.

Habitat in pinetis antiquis, adhucdum rarissime — prope Mirow in sylva der Holm legit amiciss. a Kamptz Julio, mecumque benevole communicavit.

51. Orobanche ramosa L.

O. caule ramoso, corollis quinquefidis, bracteis ternis, calycibus profunde quadrifidis. L. Sp. pl. ed. W. III. 353.

Habitat in agris spongiosis inter segetes cannabinas passim. — ad pag. Warlin in den Koppeln hinter dem Hof. Jul. Aug.

TETRADYNAMIA.

52. Alyssum dentatum W.

A. caule erecto, foliis amplexicaulibus glabris dentatis, staminibus simplicibus, siliculis obovatis inflatis. Willd. Enum. h. b. Berol. p. 871. Myagrum dentatum L.

Habitat inter segetes aestivas, praesertim Linum, ad pag. Küssow. Jul.

Ad genus Alyssum quoque revocanda sunt Myagrum sativum et paniculatum Prodr. fl. St. No. 500 et 501.

53. Coronopus Ruellii Gaertn.

C. siliculis integris cristato-muricatis, stylo porrecto, corymbis paucifloris. Smith brit. II. 690. Cochlearia Coronopus, L. Sp. pl. ed. W. III. 450.

Habitat in ruderatis terra pingui rarius. — In pago Quadenschönfeld vor dem Hof. Jul.

Ad No. 507. Iberis nudicaulis occurrit magnitudine pedali, caulibus, vel ipso centrali, ramosis foliosis. — in agro pingui inter segetes ad pag. Ballin. Jul.

54. Cardamine Impatiens L.

C. foliis pinnatis incisis stipulatis, floribus apetalis. L. Sp. pl. ed. W. III. 485.

Habitat in nemorosis udis passim. — Im Nemerow-schen Holz gegen das hohe Ufer zu. Jun.

55. Cardamine hirsuta L.

C. foliis pinnatis exstipulatis hirsutis foliolis inferioribus subrotundis angulatis, superioribus linearibus involutis. — Smith. brit. II. 698. L. Sp. pl. ed. W. III. 486.

Habitat in pascuis paludosis passim. — prope Neobrandenb. in der Burg primus habuit amiciss. Dr. _rückner; copiose auf den Haus-Wiesen hinter der Kuhweide. Jun. Jul.

56. Cardamine sylvatica Link.

C. foliis pinnatis exstipulatis pubescentibus, inferioribus ovato-oblongis incisis, impari subtrifido.
C. sylvatica Link Hoffm. phytogr. Blaetter. 1803. p. 49.
C. parviflora Lamarck Encycl. II. 183. sed non Linnaei, quae secundum Smith brit. II. 698. differt siliqua latiore, foliolis sessilibus lanceolatis integris glabris.

Habitat in paludosis nemorosis passim. — prope Neobrandenb. in der Burg. Jul.

Differt ab antecedente foliolis inferior. ovatis magis angulatis, caulinis oblongo-lanceolatis incisis, et corollis triplo minoribus.

57. Cardamine amara L.

C. foliis pinnatis, foliolis inferioribus subrotundis angulatis, caulinis elliptico-oblongis repandis dentatis, caule basi stolonifero. L. Sp. pl. ed. W. III. 488.

Habitat in udis nemorosis frequens. — ad pag. Kotelow bei der Mühle, ubi Cel. Sprengel primus invenit, et in den Brüchern um N Brandenburg. Jun. Jul.

MONADELPHIA.

58. Geranium pusillum L.

G. pedunculis bifloris, foliis reniformibus palmatis incisis, capsulis aequalibus hirsutis, seminibus laevibus. Smith brit. II. 734.

Habitat in agris incultis et ruderatis passim. — prope Neobrandenb. vor dem Friedland. Thor hinter den Scheunen. Jul.

DIADELPHIA.

Ad No. 539 — 541. Fumaria bulbosa, fabacea et Halleri cum nonnullis aliis Fumariae speciebus proprium genus efformant quod Willdenowius Corydalis nomine in Enumer. h. b. Berol. p. 739. exposuit.

Ad No. 547. Ononis spinosa variat rarius corollis albis.

59. Ononis repens L.

O. caule procumbente elongato spinoso, ramis adscendentibus inermibus villosis, foliis ellipticis, floribus solitariis subsessilibus, foliolis calycinis lanceolatis. L. Sp. pl. ed. W. III. 990.

Habitat in ruderatis arenosis depressis rarius. — prope Neobr. am neuen Wege. Aug.

Caules bi-tripedales decumbentes diffusi virgati, ad ramorum inferiorum ortum spinosi; rami adscen-

dentes elongati omnino inermes, foliola calycina lanceolata recta, nec ut in O. spinosa adscendentia lineari-subulata; folia vero non, quod Willdenowius habet, subrotunda sunt, sed oblonga obtusa potius s. elliptica.

60. Lathyrus palustris. L.

L. pedunculis multifloris, cirrhis polyphyllis, foliolis lineari-lanceolatis acutis, stipulis semisagittatis lanceolatis, internodiis membranaceis. L. Sp. pl. ed. W. III. 1090.

Habitat in pratis hyeme inundatis infrequens. — prope Neobrandenb. hinter der Kuhweide am Ufer des Tollensee-flusses. Jun.

61. Vicia cassubica L.

V. pedunculis multifloris folio brevioribus, foliolis oblongis subpubescentibus, stipulis semisagittatis lanceolatis integerrimis. L. Sp. pl. ed. W. III. 1098.

Habitat in sylvis apertis frequens. — Im Ramelow. Holz in den Schonungen. Jul.

62. Astragalus arenarius L.

A. caulescens ramosus prostratus, foliolis lineari-lanceolatis sericeis complicatis, racemis subsexfloris folio longioribus, leguminibus oblongis pubescentibus. L. Sp. pl. ed. W. III. 1289.

Habitat in arenosis rarius. — prope Mirow ad pagum Kakeldüt, aestate. a Kamptz.

Ad No. 569. Trifolium officinale est Melilotus officinalis W. leguminibus racemosis dispermis ovatis acutis hispidis, stipulis subulatis, caule erecto. Willd. Enum. h. b. Berol. p. 790.

63. Melilotus vulgaris W.

M. leguminibus racemosis monospermis obovatis rugosis nudis, stipulis lanceolato-subulatis, caule erecto. W. Enum. p. 790.

Trifolium officinale var. Prodr.

Habitat in arenosis humidis frequens. Jun.

Legumina prioris speciei minime nuda, sed setis brevibus adpressis sub lente hispida sunt, qua nota perbene ab ulteriori distinguitur.

64. Lotus uliginosus Hoffm.

L. caule tereti fistuloso erecto, foliolis calycinis recurvatis, leguminibus pendulis.

L. corniculatus β. L. Sp. pl. ed. W. III. 1395.

Habitat in sylvaticis uliginosis frequens ubique. Jul.

Ad No. 583. Medicago falcata variat foliolis latioribus oblongis cuneatis a medio ad apicem denticulatis, stipulis basi dentatis, corollis majoribus ochroleucis, quae est M. procumbens Besseri (Primit. fl. Galliciae austr.) quaeque essentialibus a. M. falcata neutiquam differt.

SYNGENESIA.

Ad No. 593. Sonchus oleraceus foliis amplexicaulibus runcinato-pinnatifidis integrisve dentatis, seminibus costatis crenulatis.

65. Sonchus asper.

S. foliis amplexicaulibus oblongis rigidis spinoso-dentatis, seminibus costatis laevibus.

S. fallax Wallroth Ann. botanic. p. 98.

Habitat in cultis et ruderatis ubique. Jul.

Differentia seminum, quam Clariss. Wallroth enucleavit, notam omnino bonam praebere videtur; utriusque speciei semina bi-quadri-costata, sed illius modo margine costisque tenuissime crenulata, hujus semper laevia inveniuntur. Cum ulterior qua praecedentis varietas aspera jam dudum nota fuit, hocce nomen triviale retinere aptius duxi.

Ad No. 597. Apargia hastilis variat scapo foliisque 3-4-uncialibus, et scapo sesquipedali, foliis ultrapedalibus, in graminosis sylvaticis. Quamvis

eodem loco natali cum A. hispida saepe proveniat haec species ideoque eam illius meram varietatem glabram Nonnulli habeant, tamen distinctam puto: teneritate et glabritie omnium partium, foliis glaucescentibus et ~~saepius~~ aequalibus, nec, quibus gaudet illa, sub calyce incrassatis.

66. Crepis pinnatifida W.

C. foliis glabris sessilibus lanceolatis pectinato-pinnatifidis apice integerrimis, caule erecto ramoso, calycibus pubescentibus. L. Sp. pl. ed. W. III. 1604.

Habitat in sylvis apertis et ruderatis infrequens. — Im Ramelow. Holz et alibi passim. Jul. Aug.

Caule 3-4-pedali ramoso glaberrimo, foliis pinnatifidis, laciniis linearibus subaequalibus integerrimis, foliis caulinis sagittatis, lobis pinnatifide incisis, apice integerrimo lanceolato differt a C. tectorum.

67. Crepis virens L.

C. caulibus decumbentibus diffusis, foliis runcinato-dentatis glabris, supremis lineari-lanceolatis integerrimis, pedunculis elongatis filiformibus, calycibus pubescentibus. L. Sp. pl. ed. W. III. 1604?

Habitat in sylvaticis nemorosis infrequens. — prope Neobrandenb. im Mühlenholz. Aug.

Non plane certus sum an mea planta eadem sit ac Linnaeana, cum Willdenowius caulem tripollicarem, rarius pedalem, et folia dentata, quin integerrima describat; ad C. tectorum tamen eam reducere vetant caules debiles decumbentes, pedunculi elongati filiformes laxi, flores nutantes et calyces vix pubescentes.

68. Crepis stricta S.

C. caule erecto stricto superne ramoso aspero, foliis radicalibus lanceolatis dentatis, caulinis lanceolato-linearibus basi subdentatis, calycibus glanduloso-pubescentibus.

C. tectorum β. segetalis Roth germ. II. 2. p. 254.

Habitat in campis neglectis sylvaticis frequens. — copiose ad pag. Ganzkow in den Holz-Schonungen. Jul.

Cel. Roth hancce plantam ad C. tectorum reduxit; plurimis notis tamen ab illa recedit, caule nimirum stricto superne ramoso fastigiato scabro, saepe a basi ramosissimo, caulibus lateralibus tunc decumbentibus; foliis inferioribus parce tantum denticulatis, caulinis strictis integerrimis basi attenuatis vix sagittato-dentatis, pedunculis elongatis rigescentibus scabris superne incrassatis, floribus duplo majoribus et seminibus fuscis dimidio longioribus subter pappum attenuatis muriculatis, nec utrinque obtusis laevibus.

Ad No. 618. Serratula arvensis L. occurrit in sylvis foliis subtus niveo-tomentosis. — Im Ihlenfeld. Holz. Aug.

Ad No. 631. Tanacetum vulgare β. foliis crispis, in ruderatis, ad sepes rarius obvium invenit amiciss. a Kamptz im Dorfe Zantwitz prope Mirow.

Ad No. 654. Inula britannica occurrit caule subunifloro, foliis nudiusculis scabris circum circa serratis, quam varietatem ne pro J. hirta habeas cave.

69. Inula salicina L.

I. foliis lanceolatis recurvis serratis scabris, ramis angulatis, floribus lateralibus altioribus. L. Sp. pl. ed. W. III. 2096.

Habitat in uliginosis nemorosis rarius. — Im Ramelow. Holz. Jul.

Ad No. 659. Chrysanthemum Leucanthemum var. γ. L. Sp. pl. ed. W. III. 2143. Leucanth. vulgare, caule villis canescente Tournef. institut. 492. provenit rarius in ruderatis.

GYNANDRIA.

70. Neottia spiralis Swartz.

N. foliis radicalibus oblongis subpetiolatis, spica tortili, floribus secundis, labio ovato. L. Sp. pl. ed. W. IV. 74.

Habitat in uliginosis nemorosis rarius. — prope Neobrand. im Brüderbruch. Septbr. communicavit Cl. Dr. Brückner.

71. Malaxis Loeselii Swartz.

M. foliis binis ovato-lanceolatis, scapo trigono, labello apice ovato recurvato. L. Sp. pl. ed. W. IV. 92.

Habitat in turfosis paludosis rarius. — ad pag. Eichhorst auf der Pfarrwiese invenit Reverendiss. Haennings, V. D. minister, et in terra sua Brunn dilectiss. ab Oertzen. Jul. Aug.

MONOECIA.

72. Carex divulsa Goodenough.

C. spica androgyna composita basi subramosa, spiculis ovatis superne masculis approximatis, inferioribus remotis, stigmatibus binis, fructibus erectiusculis ovatis plano-convexis bidentatis marginatis, margine (sub-) glabris. L. Sp. pl. ed. W. IV. 235.

Habitat iisdem in locis c. C. Muricata, cui nimium cognata omnino videtur.

73. Carex paradoxa W.

C. spicis androgynis anguste paniculatis superne masculis, ramis inferioribus remotiusculis, stigmatibus binis, fructibus subrotundo-ovatis rostellatis bidentatis margine superne ciliato-serratis. L. Sp. pl. ed. W. IV. 143.

Habitat in pratis spongiosis hyeme inundatis passim — prope Neobrandenb. auf den Wiesen gegen Woggersin. Jul.

Ad No. 714. Carex cespitosa variat omnibus partibus magis elongatis et attenuatis: C. stricta Good., quae vix memorabilis varietas mihi videtur.

Ad No. 729. Betula pubescens nostra, quamvis intacta, nunquam arborescit sed frutex semper remanet, 6-pedalem altitudinem vix excedens. — B. pubescens arbor, cujus specimina ex horto bot. Berol. asservo, longe diversa videtur; folia nimirum, ut taceam de pubescentia tenuiori, figura ovata basi producta, seu rhombea, gaudent, cum contra nostrae folia superiora cordata, inferiora basi truncata inciso-serrata sint; inflorescentia forte et fructus graviores notas diagnosticas suppeditarent, sed florentem nostram nunquam inveni.

DIOECIA.

Illo tempore quo Prodromum florae Stargard. conscripsi, historia salicum valde manca adhuc fuit et imperfecta; species nec rite cognitae atque distinctae, nec ab autoribus apte definitae exstabant; Illustr. Smithii flora brit. — aureum opus — illis temporibus mihi plane adhuc ignota et Willdenowii Spec. plantar. nondum ad hancce classem usque continuatae erant; facile ideo errores committere potui, quos ut pro viribus emendarem Salices florulae nostrae iterum iterumque perscrutatus sum. Ex re itaque mihi videtur species in Prodromo jam memoratas aptius tamen definitas, cum serius detectis denuo enumerare. — Character genericus emendetur ex Willdenowii Enumer. hort. bot. Berol.

74. Salix purpurea L.

S. monandra adscendens, foliis obovato-lanceolatis serratis glabris, subtus glaucescentibus, germinibus ovatis sericeis sessilibus, stigmatibus subsessilibus bilobis. Smith brit. III. 1039.

Habitat in salicetis ad ripas rarissime. — ad pagum Mildenitz an der Wolfshagen. Grenze am See bei der alten Burg, foemina. Majo.

Contra Smith et Willdenow Cel. Seringe (Essai d'une monographie des saules de la Suisse. 1815) contendit S. purpuream et Helicem eandem speciem esse; ego quidem ulteriorem vivam non examinavi, e siccis tamen speciminibus existimarem eam foliis longioribus acutioribus lineari-lanceolatis, germinibus oblongis apice attenuatis et stylis conspicue elongatis satis distinctam esse; secundum Smithium insuper trunco erecto arboreo gaudet.

Ad No. 748. Salix triandra L. foliis lineari-lanceolatis acuminatis serratis glabris, basi attenuatis, subtus glaucescentibus, amentis coaetaneis triandris, femineis laxis flexuosis, germinibus oblongis tuberculatis, stigmatibus sessilibus. Smith brit. III. 1044. L. Sp. pl. ed. W. IV. 654.

α. foliis concoloribus subtus pallidioribus. S. amygdalina W. Spec. pl. IV. 656. fide speciminis ex Hort. bot. Berol.

β. foliis oblongo-ellipticis concoloribus utrinque splendentibus repando-dentatis, stipulis suborbiculatis subintegerrimis.

Habitat α. in ruderatis uliginosis, ad sepes, prope Neobrandenburg. hinter der Heidmühle und am Trollenhagen. Berg; β. ad ripas lacustres ad pagos Krumbek et Mildenitz. Majo. Jun. Mas: stamina utplurimum 3, basi libera, squama oblonga albida villosula rugosa concava; nectarium duplex, alterum majus virescens subrotundum compressum inter rachin et stamina, alterum minus conicum apice luteum inter haec et squamam;

Femina: squama ut in mare, nectarium non nisi unicum depressum subquadratum bifidum, germinis pedicellum circumdans.

Ad No. 751. Salix amygdalina L. foliis ovato-ellipticis acutis serratis, basi obtusis subobliquis, subtus glaucis niveisve, amentis coaetaneis triandris, femineis erectis strictis, germinibus ovatis glabriusculis, stigmatibus sessilibus. Smith brit. III. 1045.

S. triandra var. glaucophylla Seringe l. c.

Var. β. foliis ellipticis utrinque obtusiusculis subtus niveis. S. Villarsiana L. Spec. pl. ed. W. IV. 655. S. triandra elliptica Seringe l. c. 79.

Habitat ad fluminum ripas. — α. prope Neobrandenb. bei der Krappmühle β. bei der hintersten Mühle. Majo.

Equidem cum Seringio certare nolo qui Salices quamplures reduxit et hanc quoque praecedentis varietatem fecit cum fructificantes partes stabilem characterem non praebeant. At tamen scientiae accommodatius duxi species ab antiquo notas conservare et nuperius detectas nec rite stabilitas ad illas reducere potius quam sine sale varietates accumulare. S. amygdal. caeteroquin non foliorum glaucedine quidem, sed ipsa horum germinumque figura a praecedente recedit.

Ad No. 749. Salix pentandra L. foliis ovato-ellipticis acuminatis serratis glabris, petiolis superne glandulosis, stipulis ovatis erectis, amentis coaetaneis polyandris, germinibus lanceolatis glabris sessilibus, stigmatibus subpedicellatis. L. Sp. pl. ed. IV. 658. Smith brit. III. 1046.

Habitat in palustribus turfosis frequens. Jun.

Arbor mediocris, utplurimum arbuscula, cujus ramuli fusci nitentes, quasi vernice obducti, minus fragiles; folia ovato-elliptica acuta l. acuminata, respectu subsequentis speciei latiora breviora nitidissima subtus pallidiora; stipulae in ramis vix unquam inveniendae in sarmentis novellis adsunt ovatae erectae inciso-serratae glandulosae; amenta mascula densissima turgida, squamis obovatis ob-

tusis, inferioribus saepe glanduloso - dentatis villosulis, stamina utplurimum 6. 7. ad 9. basi hirsuta saepe coalita, nectaria 2. conico - cylindrica, in femina unicum obtusum.

75. Salix cuspidata S.

S. foliis elliptico - lanceolatis longe acuminatis serratis glabris subtus glaucescentibus, stipulis semicordatis crenatis obliquis, petiolis glandulosis, amentis coaetaneis laxis sub - tetrandis.

Habitat in salicetis, pratis sylvaticis, ad vias publicas frequens. Majo. Jun. Mas.

Arbor excelsa vegetissima a praecedente recedens ramulis viridi - purpureis minus splendentibus fragilissimis; foliis angustioribus longissime acuminatis, petiolis longioribus minusque glandulosis, stipulis maximis l. reniformibus l. semicordatis obliquis acutis, in quocunque ramulo conspicuis; amentis masculis gracilioribus laxis, squamis oblongis acutiusculis villosioribus integerrimis, staminibus 3. utplurimum 4. rarius 5. vix unquam pluribus: Duo caeterum quoque adsunt nectaria, alterum majus compressum inter rachin et stamina, alterum minus oblongum, saepe bifidum inter haec et squamam. — A S. pentandra certe distincta species, quacum hucusque confusa videtur; plus una vice quoque pro S. fragili mihi venditata est; ab utraque tamen longe distat. — Aestumatiss. Treviranus (Obs. botan.) S. Meyerianam et tetrandram Willd. (Enum. h. b. Berol. Suppl.) non diversas habet a S. pentandra; ulteriorem mihi plane ignotam transeo: prior autem, cujus Ipsi amicissimo specimen siccum debeo, a S. pentandra valde recedit et S. cuspidatae propinquior videtur.

Ad No. 752. Salix fragilis L. foliis lanceolatis acuminatis concoloribus glaberrimis glanduloso - serratis, amentis coaetaneis laxis, germinibus ovato - subulatis pedicellatis glabris, stylis elongatis. L. Sp. pl. ed. W. IV. 669.

Habitat in pratis sylvaticis paludosis, ad vias publicas, passim. Majo. Jun.

Species a plurimis commutata minus vulgaris et nota videtur, at tamen ex mero habitu distinguenda. „Ramuli in corymbum quasi dispositi, quo jam e longinquo dignoscitur" bene habet Treviranus meus l. c. quod tamen de individuis masculis junioribus tantum valet; nec „amenta crassa villosa" observavi, sed gracillima potius, albida et respectu parva, squamis oblongis rugosis fere nudis apice tantum ciliatis. Nectarium masculinorum geminum, quod ad distinguendam hanc speciem tanti faciunt Hoffmann et Smith, plurimis commune est; in amentis femineis autem unica tantum adest glandula nectarifera, nec duae, quod habet Seringius l. c. qui caeteroquin subsequentem S. Russellianam male cum hacce confudit et ab utraque characteres mutuatus esse videtur.

76. Salix Russelliana Smith.

S. foliis lanceolatis acuminatis serratis glabriusculis subtus glaucescentibus, amentis coaetaneis, germinibus lanceolato-subulatis subpedicellatis glabris, stylis elongatis. Smith brit. III. 1045.

Habitat sponte in palustribus passim; frequentius ad vias publicas. Junio.

Haec species quae nobis vulgaris et usui oeconomico jam diu dicata est, cum S. fragili et vitellina hucusque confusa videtur. — Exactissimae Smithii descriptioni sequentia addere liceat: folia haud raro utrinque viridia, superiora utplurimum subtus tenuissime pubescentia, juniora saepe albido-sericea; stipulae haud ita parvae e semicordata basi acuminatae serratae; amenta laxa, mascula aureo-flava, squamis linearibus apice hirsutis; stamina bina (nec, quod putat Smithius, tria) basi hirsuta, saepe coalita; nectarium geminum, alterum obtuse conicum crassum croceum inter rachin villosam et stamina, alterum longius cylindricum inter haec et squamam;

mam; foeminea viridi-flavâ, squamis villosioribus; germina breviter pedicellata lanceolato-subulata, basi nimirum attenuata nec ovata obtusa. — S. fragilis itaque distinguitur: ramulis viridi-cinereis vernicose splendentibus fragilissimis, id quod eo modo quidem ut ramus, praesertim inflorescentiae tempore, e basi ad apicem per manum tractus ne ramulum quidem conservet; foliis crassis coriaceis grosse serratis, serratura glandulosa inflexa, rigidis nunquam non glaberrimis, concoloribus, rarius subtus glaucescentibus; stipulis subreniformibus plus minus obtusis, germinibus longius pedicellatis e basi obtusa ovata longius subulatis.

S. Russelliana: ramulis dilute purpureis minus nitentibus elongatioribus vimineis multo minus fragilibus; foliis longioribus angustioribus utrinque magis attenuatis, tenuioribus ideoque flexilioribus, subtus plerumque glaucis et tenui pube obsitis crebrius subtiliusque serratis; stipulis e semicordata basi acuminatis adscendentibus, saepe erectis, germinibus subsessilibus basi paulo attenuatis oblongis, minus elongate subulatis.

Ad No. 750. Salix vitellina L. ramulis flaccidis pendulis, foliis lanceolatis acuminatis serratis subtus glaucis pubescentibus, amentis coaetaneis, germinibus sessilibus oblongis glabris, stigmatibus subsessilibus. L. Sp. pl. ed. W. IV. 668.

Habitat in salicetis rarius, frequens autem ad vias publicas culta occurrit. Majo.

Ad No. 761. Salix alba L. ramulis erectis, foliis lanceolatis acuminatis serratis utrinque sericeis, amentis coaetaneis, germinibus lanceolatis glabris stigmatibusque sessilibus. L. Sp. pl. ed. W. IV. 710.

Habitat in salicetis et viis publicis frequens. Majo.

Equidem in genitalibus hujus et praecedentis speciei characteres distinctivos, quibus utraque rite limitetnr, me non invenisse fateor; at tamen haesitavi S. vitellinam, omni tempore distinctam, et habitu, ramulis flaccidis pendentibus, utpluri-

mum luteis seu vitellinis, foliis adultis nudiusculis, praestantia denique viminaliori cuique oeconomo notam et a S. alba recedentem plane negligere. Certe! quo ditiora evaserint genera, eo magis ad characteres extragenitales quoque respicere eosque in auxilium vocare coacti erimus.

Ad No. 760. Salix viminalis L. foliis subintegerrimis lineari-lanceolatis longissimis, subtus albo-sericeis, pilis squamarum germine ovato-lanceolato longioribus, stylis elongatis. L. Sp. pl. ed. W. IV. 706.

Habitat ad ripas lacustres infrequens; evidenter tamen spontanea ad pagum Ganzkow in dem Holz. Junio.

Autores plurimi hanc speciem fruticem l. arbusculam salutant; in hortis tamen anglicis nostris arbor saepe 30 pedes alta evadit.

77. Salix argentea Smith.

S. caule adscendente, foliis subrotundo-ellipticis mucronato recurvatis integerrimis margine revolutis, supra pubescentibus subtus argenteo-sericeis, germinibus ovato-lanceolatis villosis pedicellatis, stigmatibus sessilibus. Smith britann. III. 1059. S. arenaria Prodr. No. 754 et plurium floristarum.

Habitat in arenosis sylvaticis l. ericetosis rarius. — prope Neustrelitz et ad pagum Wanzka. Jun.

Caules virgati adscendentes 5-6-pedales, ramuli utplurimum sericeo-villosi; folia rotundato-elliptica tenuissima, quasi membranacea, nunquam non integerrima margine revoluta, exsiccata plerumque supra convexa subtus concava; stipulae frequentes satis magnae ovato-lanceolatae acutae, germina dense villosa pedicellata basi obtusa, stigmata fere sessilia. — A subsequente certe distincta species.

Ad No. 755. Salix repens L. caule depresso, foliis oblongo-ellipticis breviter mucronatis subintegerrimis glabriusculis, subtus glaucis, germinibus

lanceolatis acuminatis sericeis demum nudis, stigmatibus subpedicellatis. L. Sp. pl. ed. W. IV. 693. Smith brit. III. 1061.

β. caule erectiusculo, ramis elongatis patentibus, foliis elliptico-lanceolatis glanduloso-denticulatis. S. fusca L. et autorum plurium. Smith. brit. III. 1060.

γ. caule erecto, foliis ovato-ellipticis acutis basi paulo latioribus obliquis subintegerrimis.

Habitat in turfosis siccis frequens. — *α*. et *β*. ad pagos Ballin et Rehberg. *γ*. ad pag. Eichhorst auf der Pfarrwiese an Gräben. Majo. Jun.

Salix repens et fusca, me censente, nunquam disjungendae sunt; dantur quidem specimina quae utriusque descriptionibus a Smithio datis exacte respondent; tot autem inveniuntur specimina intermedia, saepe in uno eodemque frutice, ut limites certi stabiliri nequeant. S. repens non semper, quod Smithius vult, foliis integerrimis utitur; satis saepe denticulata sunt, ut bene monet amiciss. Treviranus l. c.; nec stipulis omnino caret: in ramis vegetioribus stipulae lanceolatae l. ovatae haud raro observantur. — Non autem Trevirano adsentire possum, qui S. argenteam a fusca non nisi ramorum et foliorum villoso nitidoque vestitu differre obtinet; statura multo majori arbusculoidea, foliis subrotundo-ellipticis integerrimis tenuissimis ideoque margine revolutis, iisque minime villosis sed sericeis rel. praecipue recedit, ut supra monui.

78. Salix laeta S.

S. caule erectiusculo, foliis oblongo-lanceolatis utrinque acutis planis integerrimis, supra glabris subtus glaucis subsericeis, adultis nudis, germinibus lanceolatis sericeis, stigmatibus pedicellatis.

Habitat in paludosis turfosis. — prope Neobrandenburg. auf den Wiesen hinter der Kuhweide. Majo. Jun.

Hanc speciem jam olim Willdenowius, cui specimina transmisi, novam declaravit et a reliquis hujus tribus diversam; ambiguus tamen haesitavi numne alio in loco eam, magis variantem et ad alterutram praecedentium accedentem fortasse invenirem, at nuspiam nisi in memorato loco mihi occurrit. — Radix horizontaliter repens, caules basi depressi, tunc erecti, vel annosiores statim erecti bipedales, ramis strictis vitellinis, junioribus viridiflavis; folia oblongo-lanceolata basi attenuata, apice acuta plana, nec unquam mucronata seu recurvata, tenuissime subpellucida, omnino integerrima, supra laete s. pallide viridia glaberrima, subtus caeruleo-glauca, superiora sericea, inferiora adultiora plane nuda, petiolis tenuibus nervisque albis; stipulae ovatae acutae s. lanceolatae; amenta mascula parva ovalia squamis oblongis fuscis sericeis, stamina longissima flexuosa; foeminea ovata, germina lanceolata tenui pube sericea, stigmata fusco-nigricantia pedicellata. — Cum S. repente nunquam commutari potest, recedens caulibus erectis, ramis flavis, foliis planis acutis sesqui-ad biuncialibus. S. fusca propinquior est; hujus tamen folia semper ad ellipticam figuram plus minus vergunt, glanduloso-denticulata et subtus incana-sericea sunt. Caeterum hujus et praecedentium nec non subsequentis folia semper tristem luridum adspectum praebent et exsiccatione nigrescunt; nostra vero adspectu laeto, quem folia supra dilute viridia subtus coeruleo-glauca efficiunt quemque siccata quoque conservat, oculos statim allicit.

Ad No. 756. Salix rosmarinifolia L. caule erecto, foliis lineari-lanceolatis utrinque attenuatis glanduloso-denticulatis, subtus cano-sericeis, germinibus lanceolatis sericeis, stigmatibus pedicellatis. L. Sp. pl. ed. W. IV. 697. Smith brit. III. 1062.

β. foliis lanceolatis integerrimis tenuibus convexis stigmatibus subsessilibus.

S. incubacea Willd. Sp. pl. IV. 696.

γ. myrtifolia, foliis angustissimis unguicularibus integerrimis quasi carinatis apice plicatis.

Habitat in turfosis plus minus paludosis; α. et β. ad pagos Rehberg et Ballin, γ. ad pagum Eichhorst auf der Pfarrwiese. Majo. Jun.

S. incubacea L. valde dubia et a Smithio praetermissa est; Willdenowii stirps, cujus ab ipso immortali viro specimen accepi, essentialibus non recedit a S. rosmarinifolia; paulo latiora tantum sunt folia simulque tenuiora ideoque subrevoluta, seu convexiuscula; idem eorum vestitus incanus siccata nigrescere facit. — Varietatem sub γ. memoratam, satis singularem, speciem propriam declaraverim, nisi in eodem fruticulo ramum foliis triplo majoribus instructum invenissem.

79. Salix ambigua Ehrh.

S. caule erecto, foliis ellipticis recurvato - acutis denticulato - serratis subtus sericeo - tomentosis, stipulis ovatis acutis subsinuatis erectis, germinibus ovato - lanceolatis villosis, stigmatibus sessilibus. L. Sp. pl. ed. W. IV. 700.

β. microphylla, caulibus diffusis decumbentibus foliis vix unguicularibus utrinque acutioribus, apice recurvatis, subtus glaucis subsericeis.
S. prostrata Smith brit. III. 1060.

γ. longifolia, caule elongatiore erecto, foliis oblongis utrinque acutis margine subrepandis, stipulis lanceolatis acuminatis patentibus.

Habitat in turfosis ericetosis passim; α. et β. ad pagum Ballin auf dem Torfmoor hinter dem Hofgarten, γ. ad pag. Rehberg am Wege nach Hinrichshagen et prope Jatzke an der Eichhorst. Grenze. Jun.

Caules plerumque erecti sesquipedales, in β. prostrati, in γ. tripedales, rami crassi fusco-purpurei glabri; folia in α. subrotundo-eliptica vix unciam longa utrinque obtusa, basi tamen plerumque nonnihil angustiora, apice recurvato - mucronata, aestate obsolete serrata, autumno evidenter den-

tato-serrata, supra triste viridia pilis sparsis adpressis tecta, subtus sericeo-tomentosa, venis arcuatis subfuscis; folia in β. vix unguicularia acuta nec recurvata, supra glabra viridia subtus glauca subsericea saepe nuda; in γ. utrinque attenuata elongatiora biuncialia margine repanda, saepe integerrima; stipulae acutae, ovatae, oblongae l. lanceolatae, prout folia magis minusve elongata sunt, basi emarginatae vel sinuatae, erectae; amenta feminea ovata, dein oblonga subpedicellata basi foliis 2-3 parvis villosis instructa laxa; germina oblongo-lanceolata villosa squamis fuscis pilosis triplo longiora, stigmata omnino sessilia, vix aestate subpedicellata nigricantia; amenta mascula desiderantur. S. ovata Seringe l. c. p. 92. tab. II. quoad figuram et descriptionem ipsissima S. ambigua α. videtur.

80. Salix spathulata W.

S. caule erecto, foliis lanceolato-obovatis recurvato-acutis apice serratis, subtus venosis sericeo-tomentosis, stipulis ovato-lanceolatis erecto-patentibus, amentis masculis cylindricis. L. Sp. pl. ed. W. IV. 700.

Habitat iisdem locis c. S. ambigua, prope pagos Ballin, Eichhorst et Rehberg. Majo. Jun.

S. ambigua et spathulata cum suis varietatibus propriam familiam constituunt a S. fusca et aurita aeque longe distantem; nec ideo Trevirano meo, qui S. ambiguam fuscae valde propinquam censet, nec Seringio adsentire possum, qui vel S. auritam cum ea conjungere studet, species, si quae ullae, distinctissimas. At inter se forte nimium cognatae sunt S. ambigua et spathulata, quaevis sit utriusque foliorum memorata diversitas! Illa enim haud raro foliis basi magis attenuatis, apice acutioribus recurvatis hancce aemulatur, quae contra non semper foliis in petiolum attenuatis gaudet, ut ita dubius haeream numne S. spathulata sit ambiguae maritus, praeterea cum illa nunquam floribus femi-

neis, haec nunquam masculis instructa fuerit reperta. — S. prostratam Smithii quidem non vidi; Willdenowius autem, quocum specimina S. ambiquae microphyllae olim communicavi, haec cum S. prostrata ab ipso Smithio sibi missa quam exactissime convenire literis monuit. — Cel. Seringe (l. c. p. 40.) S. spathulat. W. ad S. versifoliam Wahlenb. (Flor. Lappon. p. 271. t. XVIII. f. 2.) reduxit, malis sane avibus; Wahlenbergius enim plantae suae folia oblonga integerrima pilosiuscula et stylum elongatum attribuit eique S. myrtilloidem, glaberrimam et a nostra alienissimam, valde propinquam habet.

Ad No. 753. Salix aurita L. foliis subrotundo-obovatis obtusis recurvato-mucronatis subintegerrimis subtus rugosis tomentosis, germinibus subcylindricis obtusis villosis, stigmatibus sessilibus. Smith brit. III. 1064.

Habitat in ericetis, ruderatis uliginosis, ad agrorum fossas frequens. Aprile. Majo.

Haec est vera Linnaei et Smithii planta, quod patet e synonymis in flora britan. allatis. Willdenowium non citavi cum hujus et sequentis speciei diagnoses b. Vir. commutarit. S. aurita, qua talis, frutex est depressus 2-3-pedalis, vix altior, ramosissimus, foliis gaudet ex rotunditate obovatis s. ellipticis, basi obtusis saepe subcordatis, margine obsolete serratis saepe integerrimis, apice obtusissimis brevissime mucronatis, germinibus subcylindricis obtusis.

81. Salix uliginosa W.

S. foliis lanceolato-obovatis recurvato-acutis repando-serratis subtus glaucis rugosis tomentosis, germinibus lanceolatis acutis villosis, stigmatibus subsessilibus.

S. aurita Willd. Enum. h. bot. Berol. 1007. Hoffmann Hist. Salic. t. IV. f. 1-2. t. XXII. f. 1.

Habitat tam in sylvaticis dumetosis elatioribus quam in uliginosis depressis frequens. Majo.

Arbuscula 6-8 pedalis ramis ramulisque elongatis erectis, foliis lanceolato-vel oblongo-obovatis, basi nimirum valde angustioribus saepe in petiolum attenuatis, apice acutis sed acumine plicato recurvato, margine fere circumcirca undulato-serratis, subtus rugosis tomentosis glaucis, saepe nudis; germinibus acutioribus ideoque stigmatibus subpedicellatis. — Non infitias eo hanc speciem per intermedias forte ad S. auritam posse reduci; data vero utriusque diagnosi bene dignoscuntur et omnino distinguendae sunt, ni tot specimina intermedia, quae nec ad S. auritam nec acuminatam accedunt, violenter et ipsa natura repugnante ad hanc illamve cogere velimus.

Ad No. 759. Salix acuminata Hoffm. foliis oblongo-obovatis acutis planis undulato-serratis, subtus glaucis pubescentibus, germinibus ovato-subulatis villosis, stigmatibus subpedicellatis. Hoffm. Hist. Salic. p. 39. tab. VI. f. 1-2. tab. XXII. f. 2. Seringe l. c. p. 12. S. aquatica Smith brit. III. 1065.

Habitat in dumetis humidiusculis, ad ripas lacustres frequens. Majo. Jun.

S. acuminata Smithii et Willdenowii, fide speciminum ab ipso immortali Viro et a b. Rhode communicatorum, longe alia et ab Hoffmanniana stirpe diversa species est, quam florula nostra hucusque non suppeditavit quaeque a S. stipulari Smithii forte non diversa. Haec foliis oblongo-lanceolatis acuminatis utitur; Hoffmanni planta vero foliis gaudet semper ad obovatam figuram vergentibus; nihilo minus tamen a S. aurita et uliginosa longe distat, ita ut injuste, ni fallor, Smithius S. auritam Hoffm. ad S. aquaticam suam reduxit.

Ad No. 758. Salix caprea L. foliis late ovatis acutis undulato-serratis subtus tomentosis, germinibus lanceolato-subulatis villosis, stigmatibus subpedicellatis. L. Sp. pl. ed. W. IV. 703.

Habitat in sylvis atque dumetis frequens. Majo. Jun.

Variat foliis plus minus acutis, seu subrotundis, serratis undulatis, crenatis vel integerrimis. Germina ventricosa nunquam observavi; fructificata vero demum basi intumescunt, more omnium; non ideo germina sed capsulae ventricosae dicendae.

Ad No. 765. Populus alba L. foliis cordato-subrotundis lobatis dentatis subtus niveo-tomentosis, amentis ovatis. Smith brit. III. 1079.

Habitat hic illic in sepibus; prope Neobr. am Kuhdamm. Arbor vix nostrae florae indigena cum non nisi in sepibus, hortis eorumque viciniis reperiatur.

82. Populus canescens Aiton.

P. foliis subrotundis angulato-repandis dentatis subtus incano-tomentosis, amentis cylindraceis laxis. Smith brit. III. 1080.

Habitat in sylvaticis et ad ripas lacustres, sed evidenter spontanea; prope Neobr. bei Belvedere am Tollensee. Majo.

Ad No. 769. Mercurialis annua L. in cultis nostris haud raro occurrit floribus femineis masculisque intermixtis; num itaque M. ambigua mera annuae varietas?

POLYGAMIA.

Ad. No. 776. Atriplex hortensis L. deleatur; ex hortis migrata, certe nobis non indigena est.

Ad No. 778. Atriplex patula L. caule herbaceo patulo, foliis triangulari-hastatis acuminatis dentatis, calycibus fructus rhombeis apice denticulatis disco submuricatis.

Variat caule prostrato foliisque rubentibus subcarnosis — ad ripas lacustres in arenosis humidis, am Tollensee.

83. Ariplex angustifolia Smith.

A. caule herbaceo divaricato, foliis inferioribus subhastatis subdentatis, superioribus lanceolatis integerrimis, calycibus fructus hastato-lanceolatis integerrimis. Smith brit. III. 1092. L. Sp. pl. ed. W. IV. 965.

Habitat ad sepes, muros, aedificia frequens. Aug.

CRYPTOGAMIA.

GONOPTERIDES.

Ad No. 784. Equisetum arvense L. caulibus sterilibus simpliciter ramosis, ramis scabriusculis tetragonis, fructificantibus simplicibus, vaginis cylindraceis inciso-dentatis, dentibus acutis. L. Sp. pl. ed. W. V. p. 1.

Variat caulibus duplicato-ramosis.

β. caulibus erectis bipedalibus scaberrimis, ramis longissimis horizontaliter l. recurvato-patentibus, vaginis vaginulisque acutisimis. Haec varietas non male respondet E. pratensi Roth flor. German. III. 6. at praeter erectam multoque majorem staturam nulla essentialia inveni, queis ab E. arvensi distinguerem. — in sylvis umbrosis. prope Neobrandenb. in Nemerow. Holz et prope Stargard im Hagen. Aestate. sterile.

84. Equisetum umbrosum Meyer.

E. caulibus sterilibus subsimpliciter ramosis, ramis scabriusculis recurvato-patentibus triquetris fruc-

tificantibus simplicibus demum ramosis. L. Sp. pl. V. 3.

Habitat in agris nostris cultis incultisve arenosis, am Wege nach Stargard und nach kl. Nemerow, frequens, tamen in umbrosis quoque legi. Majo.

Est optimi juris species et ab E. sylvatico propinquo perbene dictincta. Caules fructiferi simplices, non nisi provectiori aetate ramosi, 4-6 uncias longi, eleganter variegati, vaginae albido-virides nitentes, dentibus 10-12 lineari-lanceolatis acutissimis pallide fuscis, dorso stria nigricante notatis demum nigricantibus cauli arcte adpressis; caules steriles ramosi, rami triquetri plerumque simplices, sat saepe vero ramulis brevibus obtusis verticillatim instructi; vaginae breviores et tenuiores dentibus pallide roseis demum nigris; vaginularum dentes albidi lanceolati obtusiusculi adpressi.

E. sylvaticum omnibus rationibus triplo majus; caulis fructiferi vaginae membranaceae laxae fuscae, striis opacioribus pictae, profunde fissae in dentes quatuor oblongo-lanceolatos obtusos; caules steriles semper duplicato-ramosi, rami tetragoni cum ramulis triquetris tenuissimi, dentes 8-12, irregulariter fissi rufofusci; vaginularum dentes tres vel quatuor, subulati acutissimi patentes pallide virides.

85. Equisetum campestre S.

E. caulibus simpliciter ramosis scabris apice spiciferis ramis tetragonis, vaginarum dentibus acutissimis scabris.

Habitat in agris sterilioribus incultis passim — prope Neobrandenb. vor dem Nemerow. Holz. Junio. Julio.

Caules erecti vix pedales striati, seu tenuissime sulcati scabri subsolidi; vaginae pallide virides; dentes nigricantes lineari-subulati acutissimi dorso sulcati scaberrimi, 2 lineas longi, arcte adpressi; rami simplices tetragoni sulcati scabriusculi, va-

ginularum dentes 3 vel quatuor subulato-setacei acutissimi patentes scabri; spica breviter pedunculata ovato-oblonga densa. — E. palustri forte nimium affine; hoc vero recedit: caule altiore graciliore fistuloso profunde sulcato, vaginarum dentibus lanceolatis acutis albido-membranaceis superne patentibus, ramis paucioribus pentagonis, vaginularum dentibus brevioribus obtusiusculis albidis arcte adpressis, spica graciliori verticillis rarioribus, et glabritie omnium partium.

Ad No 786. Equisetum limosum L. variat caule simplicissimo omninò nudo, quam varietatem obiter adspectam ne pro E. hyemali habeas cave. — in paludosis turfosis profundissimis prope pag. Jatzke.

β. polystachyum, ramis omnibus spiciferis; occurrit rarius in pratis aquosis.

FILICES.

86. Polypodium Phegopteris. L.

P. frondibus bipinnatifidis, pinnis duabus infimis deflexis, laciniis lineari-lanceolatis obtusis integerrimis ciliatis infimis adnato-decurrentibus cum oppositis rhombum formantibus, venis hirtis, soris solitariis marginalibus. L. Sp. pl. ed. W. V. 199.

Variat laciniis pinnarum inferiorum sub-repandis.

Habitat in nemoribus montosis rarius. — Im Broda-schen Holz. Autumno.

87. Aspidium Oreopteris Swartz.

A. frondibus pinnatis, pinnis lanceolatis glabris, subtus resinoso-glandulosis pinnatifidis, laciniis lanceolatis obtusis integerrimis, infimis sub-elongatis, soris marginalibus. L. Sp. pl. ed. W. V. 247.

Habitat in pinetis passim. — In den Fichten am Wege nach Rowa. Aug.

Ad. No. 798. Aspidium Thelypteris variat laciniis stipiti proximis crenato-dentatis.

88. Aspidium cristatum Swartz.

A. frondibus pinnatis, pinnis subcordato-oblongis pinnatifidis, laciniis oblongis obtusis dentato-serratis, stipite paleaceo. L. Sp. pl. ed. W. V. 252.

Habitat in turfosis sylvaticis rarius. — ad pagum Krumbeck hinter dem Hofgarten. Aug.

Hoc est verum Polypodium cristatum L. P. Callipteris Ehrh. non confundendum cum No. 796. prodr. Aspid. spinulos. Sw., quod Nonnulli illo sub nomine habent.

Ad No. 797. Aspidium Filix mas Sw. occurrit in nemorosis humidis: frondibus 3-4-pedalibus latissimis laciniis inciso-serratis, serraturis acutis. Filix palustris maxima dentata. C. Bauhin. pin. p. 358. — Caeterum vix bipinnata dicenda est species; nam exceptis infimis pinnarum laciniis omnes reliquae cum stipite pinnarum confluunt.

89. Aspidium dilatatum Swartz.

A. frondibus subtripinnatis, pinnis pinnulisque divaricatis, laciniis lineari-oblongis obtusis inciso-serratis, stipite paleaceo axillis dilatato, soris inordinate sparsis, indusiis sublaevibus. L. Sp. pl. ed. W. V. 263.

Polystichum multiflorum Roth fl. germ. III. 87.

Habitat in nemorosis humidis passim. — ad pag. Mildenitz in der Heide nach Wolfshagen zu, et prope Neobrandenb. im Nemerow. Holz. Aug.

Species ab A. spinuloso Sw. me judice omnino diversa; recedit frondibus 3plo majoribus, pinnis et pinnulis divaricatissimis, laciniis pinnularum non confluentibus sublinearibus apice obtusis quasi truncatis, serraturis acutis nec vero spinulosis, soris non ita regulariter positis utplurimum minoribus, et stipite ad pinnarum exortum dilatato, multo magis paleaceo et hirto.

Ad No. 800. Aspidium Filix femina Swartz. — Praeter numerosas hujus varietates vel species, ex mera laciniarum plus minus frequenti incisura

factas, e. g. Polypodium molle Schreb. dentatum, incisum, trifidum Hoffmann. Athyrium Roth, memorabilior mihi videtur sequens varietas

β. angustum, frondibus lineari-oblongis bipinnatis, pinnulis lineari-lanceolatis acutis inciso-serratis, serraturis subsimplicibus, soris confertissimis, stipite glabriusculo.

Aspidium angustum L. Sp. pl. ed. W. V. p. 277.
Nephrodium Filix femina Michaux flor. boreal. Americ. II. p. 268.

Habitat in pinetis siccioribus. — In den Rowaer Fichten. Aug.

Willdenowius hanc speciem soris sublunatis et pinnularum serratura infima superne elongata distingui vult; at haec serraturae infimae indoles fere omnibus stirpis nostrae varietatibus solennis est, quin ipsae pinnulae stipiti proximae reliquis plerumque longiores sunt; sori autem praesertim juniores nondum aperti semper plus minus lunulatae nec oblongae rectae inveniuntur.

90. Asplenium septentrionale L.

A. frondibus subbipartitis, laciniis linearibus apice acute subtridentatis longissime stipitatis. L. Sp. pl. ed. W. V. 307.

Habitat in collibus umbrosis praeruptis et muris lapidosis infrequens. — prope Neobrandenb. bei der hintersten Mühle rarius; copiose ad pagum Bresewitz an der Steinmauer im Holz am Wege nach Friedland. Aug. Sept.

91. Asplenium germanicum Weiſs.

A. frondibus pinnatis, pinnis alternis lanceolato-cuneatis apice dentatis, inferioribus bipartitis. L. Sp. pl. ed. W. V. 330.

Habitat in sylvis ad muros lapidosos rarissime. ad pag. Bresewitz cum praecedente. Aug.
— eodem loco et Aspl. Trichomaniodes et Aspid. fragile copiose inveniuntur.

Ad No. 802. Asplenium Ruta muraria L. frondibus basi bipinnatis, apice simpliciter pinnatis, pinnulis rhombeo-oblongis obtusis, apice crenulatis. L. Sp. pl. ed. W. V. 341.

Quas Willdenowius heic memoravit varietates, eae mihi quoque obvenerunt; praeterea autem ludit haec species, frondibus gracilioribus 2-3-uncialibus, pinnis elongatis angustioribus lanceolatis, quam formam cave pro A. german. habeas quod frondibus erectis, pinnulis elongatioribus basi attenuatis l. cuneatis apice rare inciso-dentatis, plerumque simplicibus et inferioribus modo divisis dignoscendum est.

MUSCI FRONDOSI.

Ad No. 810. Phascum piliferum Schreb. in latis cespitibus crescit an dem Hügel unter Belvedere. Vere.

Ad No. 811. Phascum elongatum. — Hoc idem est ac Ph. bryoides Dikson. Schwaegr. Suppl. ad Hedw. Spec. Muscor. p. 7—8. Tab. 1. quod illo tempore mihi nondum innotuit.

Variat foliis apice exsuccis s. piliferis.

92. Phascum megapolitanum S.

Ph. caulescens subsimplex, foliis ovatis serratis acutis erectis concavis, perichaetialibus acuminatis, seta brevissima, capsula sphaerica mucronulata.

Habitat in limosis hyeme inundatis. Aug. — prope Neobrandenb. am Rande des kleinen Ihlpols.

Radices fibrillosi in limo delitescentes; caules cespitosi subramosi bilineares erecti, folia ovata concava crebro serrata, inferiora minora dissita, superiora confertiora late ovata, perichaetialia acuminata, omnia erecto-patentia siccitate conniventia crispula, obscure viridia, nervo valido opaciore sub apice evanido instructa, reticulata, areolis oblongis, margine inferius serrata, versus apicem quasi denticulata; seta semilineam vix

longa purpurea, capsula sphaerica fusco-lutea mucronata ratione magna. — Ph. patens distinctissimum recedit foliis angustioribus oblongo-lanceolatis (nec cum Schwaegrichenio ovato-lanceolata ea dicerem) saepe spathulato-lanceolatis, planiusculis pallide virentibus recurvato-patentibus; capsula duplo minori dilute l. flave fusca. — Ph. serratum foliis enerviis inciso-serratis atque statura multoties minore differt. — Cel. Schwaegrichen (in litteris) ad Ph. suum pachycarpon reduci vult; hoc autem diversum est statura triplo minore subacauli, foliis lineari-lanceolatis recurvato-patentibus, apice remote serratis, nervo longe citius evanescente et capsula ovata subacuminata; si quidem Ph. pachycarpon tale est, quale Schwaegrichenius l. c. p. 6. tab. II. f. 1 — 7. descripsit aerique incidi curavit. Tantum ab hocce nostrum recedit ut statura et foliorum directione Ph. cuspidato multo similius evadat.

Ad No. 812. Phascum cuspidatum Schreb. *β.* Ph. Schreberianum Dicks. satis frequenter occurrit in collibus sylvaticis — gleich hinter Broda unter Belvedere. Aprile.

Ad No. 814. Sphagnum cymbifolium (latifol. Hedw.) *β.* compactum Bridel. Muscol. Recentior. Suppl. p. 18. Schwaegr. l. c. p. 12. tab. III. f. 1.

Habitat satis frequens in turfosis siccioribus ericetosis et certo nil nisi varietas est, e statione sicciori orta.

93. Sphagnum contortum S.

S. caule subramoso, ramulis fasciculatis incurvatis contortisve, foliis ovatis acuminatis secundis recurvatis subdistichis splendentibus, capsula.....

Habitat in paludibus turfosis profundissimis. — ad pagum Jatzke in dem Bruch an der Eichhorster Pfarrwiese. Aug.

Stirps paradoxa, in densis cespitibus cum S. latifolio et acutifolio socialiter crescens, at colore lurido fusco-

fusco-castaneo et habitu suo singulari statim dignoscenda: tota planta nimirum ob ramulos sursum deorsum flexos curvatos et saepe circinatos quasi contorta videtur, ut casu ita convulsam eam esse facile crederes.

Statura et magnitudine S. latifolio et squarroso simile; caules semipedales et longiores, infra pro more emarcidi, erecti subdivisi vel uno alterove ramo superne instructi; rami inordinate sparsi vel fasciculati bini ternive semiunciales patentes, sursum vel deorsum curvati, saepe Hypn. uncinati ad instar circinatim contorti, apice acuti nec vero attenuati l. filiformes; folia ovata acuminata concava margine involuta, apicem versus pro ramulorum curvatura nunc sursum nunc deorsum curvata homomalla subdisticha splendentia, colore squalida lurida opaca. — Fructus strenue, at frustra quaesivi.

94. Sphagnum cuspidatum Ehrh.

S. caule flaccido, ramulis laxis plumulosis apice setaceis, foliis lanceolatis subinvolutis truncato-erosis, siccitate undulatis. Schwaegr. l. c. 26. tab. VI.

Habitat in sphagnetis exsiccatis hyeme inundatis — ad pag. Krumbek an der Rehberger Grenze. Aug. non fructiferum.

Certe propria distincta species nec sola aquarum fluctuatione orta; S. latifol. et acutifol. in eadem palude, sed immutata observavi.

Ad No. 818. Gymnostomum rufescens S. — Cum hocce meo exacte convenit G. minutulum Schleicheri Schwaegr. l. c. 25. tab. IX. quod docent specimina a Schwaegr. benevole communicata; sed quidni denominationem meam utpote antiquiorem retinuerit Cel. Vir? quae insuper plantulae habitum melius exhibet quam ambiguum illud minutulum.

95. Gymnostomum intermedium Smith.

G. erectum subsimplex, foliis ovato-lanceolatis acu-

tis erectis integerrimis, capsula elliptico-oblonga truncata, operculo rostrato, Smith. brit. III. 1159.

Habitat in muris et aggeribus frequens. Vere c. operc.

A. G. truncato recedit: caule duplo altiore et robustiore, foliis erectis strictiusculis angustioribus pallide viridibus et capsula subcylindrica nec ore dilatata; in densis cespitibus praeterea crescit hoc, illud semper sparsim. — Folia omnino integerrima observavi; an itaque G. intermed. Schwaegr. l. c. p. 19. tab. 7. foliis „denticulatis" alia diversa species?

96. Gymnostomum sphaericum Schwaegr.

G. erectum subsimplex, foliis ovatis acutis erectiusculis evanidinerviis subcrenatis, capsula hemisphaerica, operculo planiusculo mammillato. Schwaegr. l. c. 21. tab. VIII.

Habitat in terra limosa rarius — prope Neobr. am kleinen Ihlpol. c. Phasc. megapol. Jul. Aug.

Folia ratione latitudinis obtusiuscula, obscure viridia, tamen sub lente eleganter pellucida et reticulata, omnino integerrima, sed areolae marginem quasi reticulatum efficiunt.

97. Splachnum ampullaceum L.

S. foliis spathulato-acuminatis superioribus serrulatis, seta longa, apophysi obovata longicolla purpurascente. Schwaegr. l. c. 52.

Habitat in turfosis paludosis rarius. — prope Woldegk auf der Todten-See-Wiese. Aug. lectum et communicatum a b. Blandowio.

98. Encalypta streptocarpa Hedw.

E. foliis oblongis acutis, capsula spiraliter striata, calyptra integra basi laeviuscula. Schwaegr. l. c. 59. Hedw. Spec. musc. posth. 62. tab. X. f. 10 — 15.

Habitat in umbrosis ad ripas lacustr. passim — prope Neobr. im Nemerow. Holz am hohen

Ufer unten et ad pag. Stolpe hinter dem Hof. semper sterilis.

99. Weifsia aciphylla Wahlenb.

W. caule simplici, foliis oblongis acuminatis longissime cuspidatis strictis integerrimis, margine superne involutis, capsula ovata subaequali, operculo conico elongato.

Grimmia aciphylla Web. et Mohr Cryptog. german. p. 139.

W. lanceolata β. rigidior. Schwaegr l. c. I. p. 61.

Habitat in collibus argillosis sabulosis rarius. — prope Neobrandenburg. unter Belvedere und vor der Brandmühle. Aprile c. caps. operc.

Haec species mihi omnino diversa videtur a. W. lanceolata, quae statura elatiore, foliis latioribus breviter cuspidatis, saepe obtusiusculis, subconniventibus, praecipue vero capsula oblonga et operculo conico rostrato obliquo differt; nostra gaudet foliis oblongis acutis, nervo excedente longe cuspidatis erecto-patulis strictis, capsula ovata et operculo duplo brevius rostrato.

100. Weifsia cirrhata Hedw.

W. caule ramoso fastigiato, foliis lineari-lanceolatis integerrimis tortilibus, capsula cylindrica, operculo longirostro. Schwaegr. l. c. 75.

Habitat in sepibus et trabibus vetustis, nec non ad saxa passim. — auf dem Weitin-schen Felde vor der Krappmühle an den Granitblöcken. aestate cum capsul. operculat.

Ad No. 829. Weifsia virens (W. controversa Hedw.) variat caule et statura multo minore, setis pallide-luteis subpellucidis; capsula nunc ovali, nunc oblonga. W. microdonta Hedw. Spec. musc. posth. p. 67. tab. XI. f. 7—13. vix specie differt.

101. Grimmia gracilis Schleicher.

G. caule subdecumbente elongato ramoso fastigiato,

foliis ovato-lanceolatis epilosis recurvo-patentibus, capsulis immersis oblongis lateralibus. Schwaegr. l. c. 98. tab. XXIII.

Habitat ad saxa granitosa. — prope Neobrandenburg. bei der hintersten Mühle vor der Frei-arche. Vere cum caps. opercul.

Ad No. 842. Cynontodium capillaceum. — Genus hocce rectius Cynodontium (κυνοδυς) dicendum est.

102. Barbula apiculata Hedw.

B. caule longiusculo subramoso, foliis oblongo-lanceolatis mucronatis patulis, capsula cylindrica, operculo mediocri. Schwaegr. l. c. 122. Hedw. Spec. musc. p. 117. tab. XXVI. f. 1 — 3.

Habitat in argillosis sylvestribus passim. — ad pagum Ihlenfeld am Rande des Gehölzes. Hyeme c. caps. operculatis.

Caulis cum seta sescuncialis simplex e basi, superne autem innovationibus elongatis et dimidiam setam attingentibus instructus, folia recurvo-patentia oblongo-lanceolata, apice non pedetentim acuminata, sed nervo excedente apiculata pallide s. luteo-viridia, capsula cylindracea, operculo autem non brevi sed fere capsulae longitudine subobliquo.

103. Barbula cuspidata. S.

B. caule brevi simplici, foliis lineari-oblongis cuspidatis patenti-erectis strictiusculis, capsula cylindrica, operculo mediocri.

Habitat in collibus praeruptis apricis passim. — prope Neobrandenb. unter Belvedere. Aprile.

Caulis vix bilinearis simplex polyphyllus, folia fere linearia, vix basi paulo latiora concava obtusiuscula, inde nervo excedente longe cuspidata erecto-patentia strictiuscula; capsula et operculum praecedentis. — Cum Hedwigianae hujus generis species maxima ex parte exoticae et, ni graviter fallor, haud sufficienter descriptae sint, hanc meam dubiam relinquo, dum forte ad unam

alteramve illarum reduci potest; ut ut vero sit, haec et praecedens a se invicem et a Barbulis unguiculata et fallaci longe recedunt et species distinctissimae sunt.

104. Barbula revoluta Schwaegr.

B. caule tenui subramoso, foliis ovato-lanceolatis acutis margine revolutis erecto-patentibus, capsula oblonga curvula, operculo mediocri. Schwaegr. l. c. 127. tab. XXXII. (nec, quod errore typographico, XXXIII.)

Habitat in argillosis sabulosis rarissime. — prope Neobrandenb. vor der Brandmühle; non nisi steriles surculos legi; insignis tamen foliorum forma plantam facile prodit. Cum B. convoluta arcte seponunt eique simillimam hancce declarant V. V. C. C. Bridel et Schwaegrichen; at foliis tenuioribus subpellucidis anguste lanceolatis margine planis, ut taceam de perichaetialibus, statim dignoscitur.

105. Barbula obtusifolia Schwaegr.

B. caule brevi subramoso, foliis oblongis obtusis marginatis patulis, capsula subcylindrica, operculo brevi. Schwaegr. l. c. 129. tab. XXXI.

Habitat in collibus praeruptis apricis infrequens. — prope Neobrandenb. unter Belvedere. Mart. c. caps.

Descriptio et icon a Schwaegrichenio datae optimae; folia inferiora in meis ferruginea omnino obtusa, superiora brevissime mucronata invenio; capsulae graciles breviores et saepe oblongae sunt operculoque obliquo longiores.

Ad No. 875. Barbula nervosa plurimis muscologis dubia deleatur; nostram vix nisi Barbulam fallacem paulo variantem habeo.

106. Trichostomum pallidum Hedw.

T. caule brevi simplici, foliis lanceolato-subulatis strictis patulis, capsula ovali, operculo brevi conico. Schwaegr. l. c. 139.

Habitat in cryptis sylvaticis umbrosis rarissime. — prope Neobrandenb. im Broda-schen Holz. Jun. c. operc.

107. Trichostomum tortile Schrad.

T. caule erecto simplici, foliis lanceolato-subulatis reflexis homomallis siccitate tortilibus, capsula cylindrica, operculo conico-subulato. Schwaegr. l. c. 139. tab. XXXV.

Habitat in praeruptis sylvaticis ad latera fossarum passim — ad pag. Ballin et am Broda-schen Holz. Mart. Aprile c. caps. operc.

108. Trichostomum cylindricum Hedw.

T. erectum, simplex, foliis oblongo subulatis patulis tortilibus, capsula cylindrica curvula, operculo brevissimo. Schwaegr. l. c. 142.

Habitat in praeruptis arenosis prope Neobrandenb. Vere c. operc.

109. Trichostomum decipiens S.

T. subpulvinatum caulibus ramosis subdecumbentibus, foliis lanceolato-subulatis complicatis piliferis recurvo-patentibus, supremis subhomomallis seta arcuata, capsula oblonga sulcata immersa, operculo conico-subulato recto.

Habitat ad saxa granitosa rarius. — ad pagum Gevezien an der Landstrafse. Junio c. operculo.

Commistum hucusque videtur cum simillimo Trichost. pulvinato (Fissid. pulvinat. prodr.); hoc autem recedit caulibus gracilioribus erectis pulvillos circulares efficientibus, foliis erecto-patentibus strictiusculis oblongo-lanceolatis, apice obtusiusculis inde longe piliferis concavis margine planis; nostrum haud ita regulariter pulvinatum est, caules ramosiores elongati saepe decumbentes, folia recurvo-patula, suprema leviter homomalla, longiora complicata luridi coloris margine reflexa l. incrassata sunt et e lanceolata basi pedetentim in subulam piliformem breviorem attenuantur; utriusque folia caeterum apice serrata sunt.

110. Trichostomum ericoides Schrad.

T. caule praelongo erecto, ramis brevissimis, foliis piliferis recurvis, seta longa, operculo recto. Schwaegr. l. c. 147. tab. XXXVIII.

Habitat in pinetis elatioribus passim. — ad pagum Ihlenfeld. aestate absque capsulis, ut et Tr. canescens mihi nunquam fructiferum occurrit. Utraque caeterum bona species et satis distincta videtur.

Ad No. 854. Dicranum scoparium Leyſs. β. orthophyllum Bridel Suppl. ad Muscol. Recentior. I. 175. foliis erectis strictis — in turfosis ericetosis passim provenit.

111. Dicranum majus Smith.

D. caule basi decumbente, foliis lanceolato-longe acuminatis falcatis secundis laevibus, setis aggregatis, capsulis ovato-cylindricis cernuis curvatis. Schwaegr. l. c. 163. tab. XL.

β. caule varie flexo, setis solitariis. Dicr. recurvatum prodr. No. 856.

Habitat in nemoribus elatioribus frequens. — prope Neobrandenb. im Broda. Holz auf den Bergen et ad pag. Ballin am hohen Rad. Julio cum caps. operculat.

Bene monet Cel. Schwaegrichen quod qui ipsi specimina loco natali legerint, statim genuinam et a scopario diversam speciem cognituri sint. — Postquam ipse eam cognovi, non amplius D. recurvatum speciem propriam puto sed varietatis lege ad illam reductum volo; a D. scopario, quocum Cel. Bridel aliique conjungere student, longe diversum est.

Ad No. 867. Dicranum fastigiatum a Webero et Mohro (Cryptog. germ. p. 117.) serius Dicr. Schraderi denominatum, eadem species est; a Bridelio nostro (Muscol. Rec. Suppl. I. 201.) ad Dicranum spurium qua varietas reducitur.

Ad No. 860. Dicranum curvatum est D. rufescens Smith, caule adscendente simplici, foliis lanceolato-subulatis secundis serrulatis, supremis

falcatis, capsula urceolata erecta, operculo conico-subulato subcurvo.

Male olim hanc speciem cum D. curvato Hedw., Sudetorum incola, illo tempore mihi plane ignoto, confudi; sed non rectius egerunt Weberus et Mohrus, vel ipse noster Schwaegrichenius, dum speciem distinctissimam ad D. varium reduxerunt; jam in prodromo, quomodo differat, adnotavi, et monendum tantum habeo, quod si folia ibi iis D. varii breviora dixerim id de inferioribus modo valere; superiora praesertim perichaetialia multo longiora et pulcre falcata sunt.

112. Dicranum subulatum Hedw.

D. caule erecto stricto, foliis subsecundis ovato-subulatis, capsula ovata subcernua, operculo conico-subulato longiusculo. Schwaegr. l. c. 173. Hedw. Spec. musc. 128. tab. XXXIV.

D. heteromalli var. Prodr. p. 296.

Habitat in sylvaticis humidiusculis ad fossarum margines et ad vias cavas. Jul. Aug. c. caps. opercul.

113. Dicranum rigidulum Swartz.

D. foliis subsecundis lanceolato-subulatis, seta sublaterali, capsula obovata erecto-cernua, operculo conico-subulato. Hedw. Spec. Musc. 134. tab. XXXII. Swartz. Musc. suecic. p. 38. tab. III.

Habitat in argillosis ad latera fossarum rarius. — ad pagum klein Daberkow. Majo. deoperculat.

Caulis innovationes seu surculi seriores pallide virides in singulis speciminibus saepe desiderantur; cum vero in densis cespitibus crescat, immixti surculi pallescentes l. flavo-virides statim plantulam produnt; statura omnibus rationibus triplo minore, foliis inferioribus brevioribus suberectis, habitu stricto et capsula suberecta obovata s. urceolata recedit a D. vario et bona species omnino videtur. Swartzii icon capsulam minus

recte repraesentat, nec Hedwigii, quoad capsulam, naturae conveniens.

114. Dicranum pyriforme S.

D. caule erecto simplici, foliis lanceolato-subulatis canaliculatis erectis strictis evanidinerviis, seta flexuosa incurvata, capsula obovata glabra, operculo elongate conico.

D. flexuosi var. Prodr. p. 298.

Habitat in sylvaticis turfosis rarius. — ad pagum Ballin in dem Holz hinter dem Hofgarten. Aug. c. operculo.

Statura et habitu D. flexuoso simillimum, at diversum: foliis basi angustioribus lanceolatis nec ovatis, nervo longe angustiore a solita forma vix recedente luculentiore, ita ut folia minime enervia habenda; seta varie flexa, saepe colli cygnei in modum arcuata et cum capsula intra surculos densissimos abscondita; capsula obovata recta ore angustata glabra (nec striata) castanea nitida, operculo exacte conico pedetentim acuminato, nec e convexa basi illico in subulam abeunte. Dentes peristomii profunde fissi, cruribus filiformibus elongatis albidis. Reliqua vide in prodromo.

Ad No. 863. Dicranum pusillum qua varietas ad D. cerviculatum rejiciendum est.

Ad No. 866. Dicranum spurium nunc demum capsuligerum obvenit in den Ihlenfeld-schen Fichten. Aug.

Ad No. 869. Dicranum palustre Bridel., quod idem est ac D. strictum Smith et D. intermedium Hedw., a Cel. Viro in Suppl. Muscol. Recent. jam ad D. purpureum qua varietas revocatur.

Ad No. 846. Fissidens exilis Hedw. certe nil nisi depauperata varietas F. bryoidis putandus est, ut in prodromo suspicatus sum; legi specimina mea in lapidibus lateritiis loco humido umbroso dejectis vix humo tenuissimo tectis, ubi miserrime vitam agebat. — Aliam vero F bryoidis varietatem inveni memoratu dignissimam, quae est

F. bryoides β. elongatus, caule ramoso cum seta ultra-unciali erecto, foliis ultra viginti remotis alternis, supremis acuminatis, seta e caule recta nec cum hocce angulum efficiente, et capsula robustiore obovata. — in humidis campestribus ad latera fossarum.

Haec varietas Fissid. asplenioidi Swartz, quoad hujus descriptionem ab autoribus datam simillima videtur. vid. Bridelii Muscol. Rec. II. p. 144.

Ad No. 848. Fissidens osmundioides Hedw. occurrit caule declinato adscendente cum seta sua erecta angulum fere rectum faciente, capsula paululum inclinante; hanc varietatem ne pro F. incurvo habeas caveto.

Ad No. 853. Fissidens sciuroides Hedw. proprium genus Leucodon denominatum constituit; vid. Schwaegr. l. c. II. p. 1.

115. Neckera crispa Willd.

N. foliis bifariam imbricatis ovato-acuminatis siccitate transversim plicatis, seta exserta. Schwaegr. l. c. II. 147.

Habitat in nemoribus ad fagorum caudices rarius. — ad pagum Mildenitz in der Heide. Junio. sterilis.

Ad No. 880. Neckera dendroides proprium genus constituit Climacium dictum. vid. Weber et Mohr Cryptog. german. p. 252. Variat foliis obtusioribus subrotundis. prope Neobrandb. in der Burg.

Ad No. 887. Orthotrichum cupulatum Hoffm. frequentissime am Ufer des Tollensee's unter Belvedere auf den Granitblöcken und bei der Zirzow. Mühle an den Steinen vor der Freyarche.

116. Leskea paludosa Hedw.

L. decumbens subpinnata, foliis subsecundis ovato-lanceolatis ruptinervibus, capsulis cylindricis subcurvatis. Schwaegr. l. c. II. 172.

Habitat in uliginosis ad saxa arborumque truncos passim. — bei der Zirzow. Mühle vor der Freyarche. Julio c. caps. operculat.

Capsulas vix curvatas invenio; caeterum habitu toto teneriori, caule filamentoso, foliis luridis hanc speciem cum Webero et Mohro magis insignem puto quam L. polycarpam, nec ideo Schwaegrichenio, qui contrarium statuit, adsentirem. — L. palustris prodr. N. 892. non genuina stirps Hedwigii est, sed ad Hypni genus pertinet.

117. Leskea subtilis Hedw.

L. repens, ramis erectis, foliis subpatulis remotiusculis enervibus, capsula recta, operculo conico. Schwaegr. l. c. II. 176.

Habitat in nemorosis humidis ad arborum radices rarius. — ad pagum Stolpe in dem Holz am See. vere.

Obiter adspecta haec species facile cum Hypno serpenti simillimo commutari potest, praesertim si peristomium neglexeris; ex habitu teneriori filamentoso, foliis remotioribus enervibus et capsulis erectis tamen aliquo modo dignoscitur.

118. Hypnum sylvaticum Huds.

H. decumbens subramosum stoloniferum, foliis distichis lanceolatis subbinervibus, capsula adscendente, operculo brevirostri. Schwaegr. l. c. II. 186. tab. 87.

H. denticulati var. Prodr. p. 313.

Habitat in paludosis sylvaticis ad arborum radices. — prope pag. Ballin et alibi infrequens. Jul.

Sola Schwaegrichenii autoritate muscum specie distinguo, quem Plurimi H. denticulati varietatem censent, quemque ipse rite definire non possum.

119. Hypnum stramineum Dicks.

H. foliis laxis erecto-patentibus anguste ovatis obtusissimis concavis integerrimis evanidinerviis, seta

laevi, operculo conico. Web. et Mohr. l. c. 320. Schwaegr. l. c. II. 212.

Habitat in paludosis sphagnetis frequens. — prope Neobrand. bei den raumen Eichen in dem kleinen Soell et alibi haud infrequens. Junio c. caps. operculat.

120. Hypnum trifarium Web. et Mohr.

H. foliis imbricatis cochleatim tristichis ovatis obtusis concavis integerrimis evanidinerviis, seta laevi, operculo conico. Web. et M. l. c. 319. Schwaegr. l. c. II. 212. 89.

H. illecebrum Prodr. No. 908.

Habitat in paludibus profundissimis rarissime. — ad pagum Jatzke in dem Bruch in der Pferdekoppel. Julio unicum specimen capsuliferum legi. Equidem non possum a partibus stare Cel. Schwaegrichenii, qui hanc speciem H. straminei varietatem esse censet; utraque a semet invicem longe differre mihi videtur. H. stramineum semper extra aquam in sphagnetis siccioribus crescit, vel lignis radicibusque putridis adhaeret; folia oblonga colorem flavescentem stramineum habent, laxa et patenti-erecta sunt ut caulis dilute purpurpureus facile conspiciatur; H. trifarium contra in ipsis aquis vitam degit, alios muscos v. c. H. scorpioid. lycopodioid. adunc. rel. perrepens, totum quantum luridi l. nigricantis coloris, apicibus ex aqua porrectis tantum viridibus hisque subuliformibus e foliis arctissime imbricatis multo latioribus saepe subrotundis.

Ad No. 939. Hypnum cordifolium nunc demum fructiferum occurrit; lectum est a Reverendiss. Haennings, V. D. ministro, prope Eichhorst auf der Pfarrwiese in fossis profundis. Julio c. caps. operculat.

121. Hypnum Blandowii Web. et Mohr.

H. adscendens pinnatum, foliis patentibus margine reflexis cordatis serrulatis evanidinerviis laevibus,

seta laevi, operculo conico. W. et Mohr l. c. p. 332.

Habitat in paludosis sylvaticis passim. — prope Neobrand. in dem Bruch vor der Burg. Vere c. capsul. copiosis at tum ob paludis profunditatem aditu difficillimum.

Bridelio nostro (Muscol. Rec. Suppl. II. p. 132.) dubia stirps videtur ad H. abietinum forte demum reducenda; at statura multoties major, caules fere pedales, folia omnia nec sola caulina cordato-acuminata dorso laevia nec papillosa et locus natalis satis distinguere videntur, quamvis negari nequeat stirpes simillimas esse et H. Blandowii, causis a Bridelio ingeniose enucleatis, in H. abietinum transmutari posse.

122. Hypnum salebrosum Hoffm.

H. decumbens subpinnatum, foliis erectiusculis lanceolato-acuminatis ruptinervibus semi-bistriatis serrulatis, seta laevi, operculo conico. Schwaegr. l. c. II. p. 237.

Habitat ad arborum imos truncos in uliginosis, rarius. prope Neobrandenb. im Werderbruch. Majo c. caps.

123. Hypnum populeum Hedw.

H. adscendens vage ramosum, foliis lanceolato-acuminatis subsolidinerviis longe bistriatis, seta laevi, operculo conico. Schwaegr. l. c. II. 238.

Habitat in uliginosis sylvaticis ad saxa haud infrequens — ad pagum Bresewitz im Holz et in der Heide bey Stolpe. Vere c. caps. operculat.

Ad N. 916. Hypnum exiguum Bland. idem est ac H. tenellum Dicks. Smith britann. III. 1308. et H. Algirianum Desfontaines. Bridel. Suppl. Muscol. II. p. 162.

Ad No. 929. Hypnum rutabulum Hedw. — praeter numerosas hujus varietates sequens memorabilior est: β. aureovirens, caulibus divisis eleganter pinnatis, foliis primariis dense imbricatis. Bridel Suppl. Musc. Rec. II. p. 184.

Habitat in scaturiginosis sylvaticis. — prope Neobrandenb. im Nemerow. Holz, vorn in dem Bruch. Vere c. caps. deopercul. — Hancce var. ex habitu vix H. rutabulum putares, tantum a solita forma recedit.

124. Hypnum fluviatile Swartz.

H. caule decumbente ramoso, foliis ovato-acuminatis erecto-patentibus concavis subhomomallis nervo valido excurrente, margine reflexis, capsula ovata erecto-cernua, operculo conico. Web. et Mohr. Cryptog. germ. p. 303. Schwaegr. l. c. II. 263. Bridel. Muscol. Rec. Suppl. II. p. 239. Leskea palustris Prodr. No. 892.

Habitat ad ripas lacustres supra saxa et palos frequens. — Bei der Brandmühle unter der Mahlarche et alibi. Julio c. caps. operculat.

125. Hypnum fallax Bridel.

H. caule decumbente subpinnato, foliis cordato-lanceolatis longe acuminatis erecto-patentibus subplanis, nervo subexcurrente, capsula oblonga arcuata, operculo conico. Bridel. l. c. p. 235. Web. et Mohr. l. c. p. 304.

Habitat in pratis hyeme inundatis ad saxa arborumque radices et truncos passim. — prope Neobrandenb. im Werderbruch et ad pag. Mildenitz auf den Wiesen am See. Aprile, Majo c. caps. operculat.

Non possum quin contra Cel. Schwaegrichenii sententiam H. fallax a fluviatili diversum putem. Quamvis ambobus idem sit locus natalis, tamen colore et habitu recedunt. — H. fluviatile robustius luridum ferrugineum l. obscure viride est, ramis sparsis brevioribus crassiusculis subcurvatis; folia homomalla, in surculis sterilibus saepe circinata, ex ovata basi paulo acuminata concava, nervo crasso quasi carinata; capsula brevior basi ovata erecto-cernua. H. fallax pallide l. flavo-viride, gracilius inordinate pinnatum est, ramis tenuioribus elongatis erectis; folia

erecto-patentia, vix summo ramorum apice homomalla, caulina e late-cordata et a caule distante basi illico angustata, ramea lanceolata, omnia longissime acuminata fere subulata, apicibus siccitate reflexis, subplana vixque margine reflexa subpellucida; seta longior, capsula oblonga basi attenuata arcuata subnutans. — Operculum utrique idem, conicum acutnm, nec quod Cel. Bridel de H. fallaci statuit, e basi convexa rostellatum; nec folia omnino integerrima invenio, qualia Mohrus exhibet, sed utrique tenuissime serrulata sunt.

126. Hypnum strigosum Hoffm.

H. repens, ramis fasciculatis recurvis, foliis ovato-triangularibus serrulatis evanidinerviis, seta laevi, operculo rostrato. Schwaegr. l. c. II. p. 268.

H. pulchellum Hedw. Spec. Musc. 265. tab. 68. f. 1 — 4.

H. intricatum Timm Prodr. fl. Megap. Swerinens.

Habitat in sylvis ad terram frequens. Mart. operculat.

Folia saepe satis acuminata, nec obtusa sunt; nervus valde varians medio folii saepe evanescit, utplurimum dimidiam folii partem et supra percurrit, nunquam vero apicem attingit; a nonnullis H. praelongi varietatibus distinguunt seta laevis et ramuli breviores.

127. Hypnum chrysophyllum Bridel.

H. caule procumbente diviso pinnato, foliis imbricatis patentissimis subreflexis, e basi cordata lanceolato-subulatis evanidinervibus, capsula oblonga incurva, operculo conico. Bridel Muscol. Suppl. II. p. 200. H. stellati var. Prodr. No. 937.

Habitat in turfosis siccioribus ad latera fossarum. — ad pag. Ballin, et prope Neobrandenb. auf der Kuhweide. Junio c. caps. deoperculat.

Species ab H. stellato distinctissima. — Folia in ramorum apicibus subhomomalla; nervus saepe

non nisi folii medium attingit et in varietate, cujus in Prodromo sub H. stellato mentionem feci, adhuc citius evanescit. — Autores H. protensum Bridel cum H. stellato conjungunt; nonne potius ad chrysophyllum reducendum sit? cum triplo gracilius illo dixerit Cel. Autor.

Ad No. 937. Hypnum stellatum β. H. squarrosulum Bridel Muscol. Suppl. II. p. 199. — in pinetis siccioribus ad terram argillosam passim occurrit prope Neobrand. in den Fichten vor der Brandmühle. absque capsul.

Hancce varietatem, excepta parvitate, non diversam invenio; at sterilia modo legi specimina, nec omittendum est quod in collibus sterilissimis proveniat, cum contra H. stellatum verum semper in paludibus turfosis profundissimis inveniatur. Folia autem non cum Bridelio „mediotenus ductulosa" video, sed plane enervia. Schwaegrichenius hanc varietatem ad H. chrysophyll. reduxit, uti videtur, contra naturae nutum.

128. Hypnum incurvatum Schrad.

H. caule repente subpinnato, ramis apice incurvis, foliis lanceolatis acuminatis concavis enervibus integerrimis, capsulis ovatis cernuis, operculo conico brevirostri. Schwaegr. l. c. II. 285. tab. 94.

Habitat in sylvaticis humidis ad saxa. — bey der Zirzow-shen Mühle vor der Freiarche. Majo c. caps. opercul.

129. Hypnum palustre L.

H. caule repente, foliis ovato-acuminatis secundis integerrimis subenervibus, capsula ovata, operculo conico. Web. et Mohr. l. c. p. 365. Schwaegr. l. c. II. p. 292.

Habitat ad ripas lacustres in saxis haud infrequens. Majo, Junio. cum caps. operculat.

Folia non plane enervia sunt; nonnullis nervus fere mediotenus ascendit, aliis brevissimi gemelli ad basin eorum modo conspicui, iterumque aliis nervus

vus omnino deest. Muscus luridi coloris ferrugineus l. atrovirens quisquiliis conspurcatus est.

130. Hypnum scorpioides L.

H. caule decumbente flaccido, ramis apice incrassatis, foliis subfalcatis oblongis enervibus, supremis subrotundis, capsula nutante, operculo conico. Schwaegr. l. c. II. 293. tab. 95.

Habitat in paludibus profundissimis turfosis rarius. — ad pag. Jatzke in dem Bruch an der Eichhorst. Pfarrwiese. Julio c. caps. deopercul.

H. scorpioides Prodr. No. 923. non genuinum est, sed alium rariorem muscum offert. vid. H. lycopodioid.

Ad No. 897. Hypnum filicinum β. H. commutatum Hedw. foli[illegible] e cordata basi longe acuminatis, margine p[illegible] reflexis, nervo evanescente, serrulatis. Web. et Mohr. l c. p. 356. Schwaegr. l. c. II. p. 297. — occurrit satis frequens locis scaturiginosis, Junio cum capsulis. — Nec ipse inter H. filicin. et commutat. limites certos invenire valeo, quamvis ~~sint~~ hujus specimina ~~quae~~ statura robustiore et alieno habitu a filicino tenuiori filamentoso longe recedant.

131. Hypnum revolvens Swartz.

H. adscendens subramosum, foliis falcatis subtortilibus lanceolato-acuminatis ruptinervibus nitidis, infimis nigris. Schwaegr. l. c. II. 299. tab. 95. Swartz Musc. Suecic. p. 58. tab. 7. H. aduncum α Turner Muscolog. Hibern. Web. et Mohr l. c. 360.

Habitat in pratis turfosis hyeme inundatis passim — prope Neobrandenb. hinter der Kuhweide gegen Woggersin; sterile.

Species quidem haec, qua talis, habitu suo alieno, caule robustiore, foliis longioribus, longissime acuminatis, apicibus flexuosis et colore lurido nigrescente ab H. adunco longe graciliori, aureoflavescente, foliis acuminatis, nec vero apice setaceis, regulariter circinatis instructo, distingui

potest; tot autem, quae transitum efficiunt, specimina intermedia mihi obvenerunt, ut sola Swartzii et Schwaegrichenii auctoritate commotum me eam separasse fatear.

Ad No. 923. Hypnum scorpioides est litiginosum illud H. rugosum Smith brit. III. 1326. quod Webcrus et Mohrus l. c. p. 326. Anglorum auctoritati cedentes hoc nomine quoque salutarunt, quod vero Celeberr. Bridel Muscol. Suppl. II. p. 227. nuncupari vult:

H. lycopodioides; caule procumbente ramoso, ramis subcurvis, foliis laxius imbricatis circinato-falcatis secundis ovato-lanceolatis acuminatis nervo subcontinuo, capsulae oblongae arcuatae operculo conico acuto. — Schwaegr. l. c. II. 300.

Simillimas tres species, Hypnum scorpioid. lycopod. et revolvens ne confundant sibi caveant tirones. Prius tamen facilius dignoscitur: caule robustiore apice ramisque incrassatis turgidis subincurvatis teretiusculo; foliis oblongis acutis, superne ovatis obtusis arctissime imbricatis, homomallis quidem, sed vix curvatis, enerviis;

H. lycopod. praecedente gracilius compressiusculum, ramis curvatis acutioribus vix incrassatis; foliis laxioribus ovato-lanceolatis longe acuminatis fere circinatim curvatis concavis splendentibus nervosis;

H. revolvens proximum praecedenti, statura foliorumque forma et nervo simillimum, differt ramis apiceque uncinatis, foliis longe angustioribus lanceolatis acuminatis complicatis subcarinatis, apice setaceo flexuoso, vix splendentibus. Quomodo hoc recedat ab H. adunco, supra memoratum est.

Ad No. 898. Hypnum compressum Roth est mera varietas H. cupressiformis No. 922.

Ad No. 919. Hypnum Timmii Bridel est H. molluscum Hedw.

Ad No. 932. Hypnum flavescens Roth est va-

rietas locis sterilissimis depauperata H. albicantis.

Ad No. 938. Hypnum longifolium ad H. riparium qua varietas foliis elongatioribus rejiciatur. Nec H. trichopodium No. 918. alio modo distinguerem, quamvis habitu longe alieno, caule decumbente elongato filiformi, ramis subpinnatis, foliorum nervo subexcurrente et setis longissimis capillaceis ultra-biuncialibus memorabile sit.

Ad No. 941. Bryum androgynum proprium genus constituit Gymnocephalus dictum. vid. Schwaegr. l. c. II. p. 87.

Ad No. 943. Bryum pulchellum, caule simplici, foliis oblongo-lanceolatis nervo excurrente apiculatis erectis strictis integerrimis, seta tenuissima flexuosa, capsula subpyriformi, operculo hemisphaerico mammillato.

Species elegans distinctissima, cum Br. carneo nunquam confundenda, nuperius tamen dubiis ambagibusque vexata, quamvis a Bridelio nostro (Muscol. Rec. II. p. III. p. 25.) satis clare descripta et definita fuerit; b. Mohr (Cryptog. german.) speciem Hedwigiam cum B. carneo conjunxit et meam falsam declaravit, licet specimina mea maxime instructiva non perquisiverit! Nec Wahlenbergius propriam speciem habet; Schwaegrichenio dubia est et ipsum Bridelium nuperius video vacillantem. (Muscol. Suppl. III. p. 17.) Non itaque ab re esse puto raram nostrae florae plantulam, cujus perpauca specimina modo legi, paulo fusius delineare: caulis simplex vix bilinearis, folia oblongo-lanceolata acuminata concava nervo fusco excurrente apiculata integerrima stricta erecta sub-opaca; surculi mares 5-6-lineares purpurei basi nudiusculi apice incrassati, foliis lanceolatis erecto-patentibus superne confertioribus instructi; seta sesquiuncialis et longior tenuissima purpurea nitida flexuosa, superne arcuata; capsula obovata l. pyriformis sanguineo-purpurea subpendula, operculum sanguineum convexum mammillatum. Capsulae di-

rectio ob varias setae flexuras difficile determinatur, in plurimis tamen pendula dici potest. — Talis est muscus ad ripas arenosas umbrosas fluvii, ingentes duos lacus conjungentis, lectus; an idem sit cum Hedwigiana stirpe, dijudicare nequeo dum ejus specimina mihi ignota nec icon Hedw. Stirp. crypt. in promtu est; ut ut sit, a Br. carneo species est distinctissima.

Ad No. 944. Bryum carneum L. caule simplici, foliis ovato-lanceolatis acutis serrulatis planiusculis evanidinerviis, seta recta capsula ovata pendula, operculo conico apiculato.

β. pusillum S., statura duplo minore, foliis paulo latioribus, nervo vix ultramedio. Br. erythrocarpon Bridel Muscol. Suppl. III. p. 18.

A Br. pulchello recedit statura humiliore, praesertim si setam simul respexeris, foliis latioribus acutis subplanis apicem versus remote at conspicue serratis albidis tenerrimis eleganter reticulatis pellucidis, nervo apice evanescente; seta crassiuscula rigida recta subcarnosa pallide sanguinea; capsula ovata pendula cum operculo conico apiculato sanguinea. Varietatem β. specie distinguere non audeo; differt tantum statura humillima cum seta vix unguiculari, foliis remotioribus paulo latioribus, nervo citius evanescente, l. ruptinervibus, et capsula breviore ovato-subrotunda. — In limo delitescentem ad fossae marginem inveni prope pagum klein Daberkow. Majo. cum capsulis operculat.

132. Bryum erythrocarpon Schwaegr.

B. caule subramoso, foliis lanceolatis acuminatis erectis strictis solidinerviis, capsula oblonga subobliqua pendula, operculo conico. Schwaegr. l. c. II. p. 100. tab. 70. exclus. synonym. Bridelii. Br. sanguineum Bridel Muscol. Suppl. III. p. 28.

Habitat in graminosis humidis arena suffusis. Vere et aestate c. caps. operculat. et deopercul. — prope Neobrandenb. vorn in der Nachtkoppel.

Magnitudine valde variat, uti bene expressit Schwaegrichenii icon; caeterum stirps mihi dubia, quae quidem, praesertim in humilioribus, foliis ferrugineis multo angustioribus acuminatis sed non setaceis, in elatioribus capsula cylindrico-oblonga, inferiori latere breviori, colore sanguinea, (demum tamen fusca) dignosci et a Br. cespititio eodem loco habitante distingui potest; at immixta legi specimina intermedia, aequo jure huic vel illi adscribenda.

133. Bryum pallescens Schleich.

B. caule subramoso, foliis oblongo-lanceolatis longe cuspidatis subintegerrimis, capsula subpyriformi elongata subnutante. Schwaegr. l. c. II. p. 107. tab. 75?

Habitat in praeruptis umbrosis humidis nec non in muris madefactis rarius. — prope Neobrandenb. vor dem Stargard. Thor links an dem Sandberg und bei der hintersten Mühle an der Freyarche. Junio. Jul. c. caps. operculat.

Dubius haereo an Schwaegrichenii icon huc spectet, cum capsulas horizontales sistat, quae in meis subnutantes, saepe subpendulae sunt, nec folia plane integerrima invenio, sed summo apice subserrulata. Muscus meus summam affinitatem habet cum Webera intermedia; haec autem recedit foliis latioribus acutis cuspidatis subplanis apicem versus conspicue serrulatis laete viridibus, capsula basi maxime elongata e seta cernua, medio curvata inaequilatera ventricosa; nostrae speciei folia oblongo-lanceolata longissime cuspidata nervo crasso fere carinata concava lutea vel pallide viridia margine reflexa; capsula basi quidem, sed non ita elongate attenuata oblonga fere aequalis, e seta arcuata nutans. — Cel. Schwaegrichen quidem l. c. II. p. 68. Weberae intermed. folia margine inflexa attribuit, nec vero icone tab. 75. expressit, nec ego talia sed margine incrassata modo inveni.

Ad No. 948. Mnium palustre in paludibus ex-

siccatis, fruticulis dejectis repletis, interdum valde elongatur ramis l. flagellis instructum; tunc sistit et muscum Dillenii hic memoratum et sequens Mn. polycephalum No. 949., quod itaque delendum.

Ad No. 955. Mnium turbinatum fere omnibus Muscologis dubium deleatur.

Ad No. 956. Mnium cespititium a Schwaegrichenio Bryis adnumeratum est, Bridelio non repugnante.

134. Mnium lacustre Bland.

M. caule subramoso, foliis spathulato-ovatis acutis cuspidatis apice recurvis integerrimis, capsula pyriformi pendula, operculo convexo obtusiusculo. Schwaegr. l. c. II. p. 124. tab. 77. (nec, quod errore typographico, 79.)

Habitat in graminosis humidis arena suffusis, cum Bryo erythrocarp. eod. loco et tempore.

Icon citata non omnibus numeris absoluta est: folia in ramis l. innovationibus multo confertiora arctiusque imbricata sunt, ut illae julaceum fere adspectum praebeant, latiora porro, valde concava apicibus recurvis, integerrima, vix uno alterove dente obsoletissime serrulata ea invenio; seta nunc uncialis stricta, nunc biuncialis et longior; capsula immatura fere oblonga, matura brevis pyriformis basi valde contracta est. Species caeterum nitida distinctissima. Quomodo Weberus et Mohrus (Cryptog. germ. p. 285.) hanc uti Weberam intermed. (Hypna iis) a Bryo cespitit. vix diversam declarare potuerint, haud intelligo.

135. Mnium affine Bland.

M. foliis sparsis obovatis acuminulatis solidinervibus marginatis serrato-ciliatis, capsulis aggregatis, operculo convexo. Schwaegr. l. c. II. p. 134. Spec. Musc. tab. 45. Martii fl. crypt. Erlang. p. 68. tab. 2. f. 1.

Habitat in paludosis scaturiginosis frequens, sed raro fructiferum occurrit. aestate.

Speciem omni puncto indubitatam vix censerem; demtis enim, quas fudit locus natalis, differentiis, Mnio cuspidato nimium affinis habenda est. Icon fl. Erlang. operculum nimis acutum sistit.

136. Bartramia marchica Swartz.

B. caulibus subdivisis elongatis, foliis lanceolatis serratis subhomomallis. Web. et Mohr. l. c. p. 267. Schwaegr. l. c. II. p. 59.
Habitat in paludosis turfosis rarissime. — prope Woldegk auf der Todten-See-Wiese legit b. Blandow; ipse plantam in flora nostra frustra hucusque quaesivi.

137. Bartramia fontana Sw.

B. caulibus subdivisis elongatis, foliis ovato-acuminatis serratis rigidis subhomomallis. Web. et Mohr. l. c. p. 268. Schwaegr. l. c. II. p. 61.
Habitat in paludosis scaturiginosis rarius. — prope Neobrandenb. in dem Bruch zwischen der mittel- und hintersten Mühle. sterilem modo habui.
Ad No. 971. Pohlia intermedia a Cel. Schwaegrichen ad genus Webera revocata est. — Muscus pulcherrimus ac distinctissimus, qui frequentius nunc mihi occurrit locis umbrosis irriguis scaturiginosis gleich vor klein Nemerow in dem Rehmel am Wege. Augusto et Septbr. c. caps. opercul. et deoperc.
Ad No. 832. Polytrichum commune rarius caulibus divisis ramosisque occurrit prope Stargard am Klüschenberg, cum P. perigoniali Richard., quod meram varietatem esse puto

138. Polytrichum formosum Hedw.

P. caule simplici, foliis densis lineari-subulatis serratis, capsula quadrangulari sub-apophysiata, operculo rostrato. Hedw. Spec. Musc. p. 92. tab. 19. P. commune var. Prodr. fl. Starg.
Habitat in pascuis graminosis sylvaticis haud infrequens. — ad pagum Ballin et im Broda. Holz. Jun. Jul.

139. Polytrichum affine Funk.

P. caule subramoso, foliis erectiusculis margine inflexis integerrimis dorso subscabris, capsula appendiculata (subapophysiata) cuboidea. Funk pl. crypt. exs. m. pinif. Fasc. XII. No. 251.

P. juniperini var 1. gracile. Prodr. fl. Starg.

Habitat in turfosis ad latera fodinarum frequens cum P. longiseto. Jul. Aug.

Caule graciliore, elongatiore, foliis brevioribus rigidioribus erecto-patulis, nec recurvatis et operculi rostro tenuiore differt a P. juniperin. Caeterum caulis in meis speciminibus vix ramosus, nec capsula vere cuboidea, qualem Illustr. Schwaegrichen exhibet, sed oblonga.

Ad No. 836. Polytrichum nanum. — Cum hocce promiscue saepe vivit P. pumilum Swartz, quod certissime distincta species non habendum.

Ad No. 839. Polytrichum controversum, ut suspicatus sum, qua varietas caule breviore robustiore cum seta vix unciali, ad P. undulatum reducendum est. Num Cel. Bridelii stirps hujus nominis huc pertineat ambigo.

140. Polytrichum angustatum Bridel.

P. caule simplicissimo, foliis lineari-lanceolatis serratis obtusiusculis subcarinatis undulatis, capsula cylindrica erectiuscula. Bridel Muscol. Suppl. I. p. 79. Schwaegr. l. c. II. p. 331.

Habitat in arenosis humidis sylvaticis passim. — prope Neobrandenb. vor dem Burgholz et bei der hintersten Mühle. Febr. cum capsulis operculat.

Differt a P. undulato habitu graciliore statura humiliore, foliis angustioribus strictiusculis erecto-patulis nervo latissimo planiusculo longitudinaliter quasi fisso subcarinatis l. concavis ferrugineis, capsula longiore cylindrica vix paululum curvata angustissima, operculo demum capsula duplo breviore recto.

Species pulchra, uti videtur, distinctissima, quae usque adhuc tantum in America a V. V. C. C. Michaux, Bosc et Mühlenberg lecta est. — Ill. Schwaegrichen l. c. speciminum meorum humane mentionem fecit, quae Neobrandenburgi, nec, quod typographi errore dictum!, in Neomarchia lecta sunt.

HEPATICAE.

Ad No. 989. Jungermannia pallescens. — β. rivularis caule fluitante ramoso, foliis atroviridibus. Schrad. — Haec varietas prope klein Nemerow ad radices arborum an dem Mühlbach demum fructifera mihi occurrit. Junio.

141. Jungermannia Trichomanes Dicks.

J. caule diviso repente, foliis subrotundis imbricatis planis subintegerrimis; stipulis orbicularibus obtuse bilobis. Martii Fl. crypt. Erlang. 134. tab. III. f. 7.

Habitat in sylvaticis turfosis passim. — prope pagum Krumbeck hinter dem Hofgarten. Aug. absque fruct.

142. Jungermannia serpyllifolia Dicks.

J. caule decumbente subpinnato, foliis subrotundis imbricatis integerrimis concaviusculis basi complicatis, stipulis subrotundis bifidis, laciniis acutis. Mart. l. c. 136. tab. III. f. 9.

Habitat in nemoribus ad truncos putridos muscis implexa, et in turfosis siccis apricis. — Im Broda-schen Holz et ad pagum Ballin.

In nemoribus laete viridis, in apricis albida exsucca, semper autem pellucida, pulcherrime reticulata. J. cavifolia Ehrh. Schwaegr. Prodr. Histor. Musc. hepat. p. 17. quoad descriptionem idem muscus videtur.

143. Jungermannia heterophylla Schrad.

J. caule radicante adscendente ramoso, foliis imbricatis subquadratis bidentatis vel vix emarginatis, stipulis bifidis, laciniis bipartitis.
Mart. l. c. p. 140. tab. III. f. 12.

Habitat in nemorosis ad truncos foliaque putrida ubique. Septbr. cum fruct.

144. Jungermannia trilobata Weber.

J. caule subramoso adscendente stolonifero, foliis subquadratis distichis bi-tri-dentatis, stipulis quadratis quadridentatis. Mart. l. c. p. 141. tab. III. fig. 14.

Habitat in nemoribus humidis ad arborum radices rarius. — prope Neobrandenb. im Burgholz; sterilis.

Spectabilis species, statura elatiore, caulibus ultrabiuncialibus, flagellis longis muscis adhaerens facile dignoscenda.

145. Jungermannia pulcherrima Web.

J. caule erecto bipinnato, ramis apice incrassato-rotundatis, foliis trifidis stipulisque bifidis longissime ciliatis. Schwaegr. l. c. p. 21.

Habitat in ericetosis nemorosis elatioribus rarius. — prope Neobrandenb. im Broda. Holz gegen Neuendorf. Octobr. absque fruct.

146. Jungermannia Schultzii Sprengel.

J. caulibus erectis dichotomis teretibus, foliis stipulisque trifidis incurvis imbricatis, laciniis linearibus obtusiusculis. Spreng. pugill. plant. minus cognitar. I. p. 64.

Habitat in turfosis paludosis rarius. — ad pag. Krumbeck hinter dem Hofgarten. Aug.

Caules dense cespitosi erecti dichotome ramosi cum ramis apice incrassati teretes, foliis stipulisque arcte imbricatis tecti; folia et stipulae trifida, incurvata, laciniae lineares obtusiusculae articulatae, medio distantes, apicibus cauli approximatis, ita

quidem ut hiatum efficiant, unde caulis facies nodosa l. articulata.

Cel. Martius, l. c. p. 147. hanc speciem ad J. setaceam Hooker (J. pauciflor. Dicks.), quam tab. 4. f. 22. delineavit, reduci vult; haec vero quoad descriptionem et iconem a mea valde recedere videtur.

147. Jungermannia resupinata L.

J. caule erecto subsimplici, foliis distichis bilobis ovatis acutis denticulatis, lobo antico dimidium minore. Schwaegr. l. c. p. 23.

Habitat in sylvis umbrosis ad terram. — Im Nemerow. Holz. Autumno. sterilis.

J. resupinata Mart. l. c. p. 150. tab. IV. f. 26. forte alia species est; ad meam saltem non quadrat.

148. Jungermannia undulata L.

J. caule erectiusculo subramoso, foliis distichis bilobis integerrimis, lobis ovatis subaequalibus siccitate undulatis. Schwaegr. l. c. p. 23. Mart. l. c. p. 152. tab. IV. f. 27?

Habitat in agris glareosis ad latera fossarum. — ad pagum Ballin hinter dem Hofgarten. Aug. cum fruct.

Variat colore laete viridi caule subsimplici, et caule ramoso colore rufescente. — Martius l. c. folia dentato-ciliata delineavit, quae vero in meis speciminibus integerrima sunt.

149. Jungermannia nemorosa L.

J. caule erecto subramoso, foliis distichis complicatis bilobis dentato-ciliatis, lobo antico duplo minori subrotundo adscendente. Mart. l. c. p. 152. tab. IV. f. 28.

Habitat in nemoribus ad vias cavas. — Im Broda. Holz. Autumno. sterilis.

Cel. Schwaegrichen loc. cit. lobum anticum duplo majorem designat; an errore typographico?

150. Jungermannia emarginata Ehrh.

J. caule erecto subsimplici, foliis approximatis concavis integerrimis emarginato-bilobis, lobis aequalibus sinuque obtusiusculis. Mart. l. c. p. 156. tab. V. f. 32.

Habitat in sylvaticis umbrosis ad terram, et in sphagnetis inter muscos passim. — ad pagum Neuendorf am Eingange des Holzes, et ad pag. Krumbeck in einem Bruch. Autumno, sterilis; ulteriori loco caules elongatiores sesquiunciales decumbentes sunt. — Icon citata naturae non plane respondet: foliorum lobi nimis acuti delineati sunt, nec folia ita complicata invenio.

151. Jungermannia inflata Huds.

J. caule repente subramoso, foliis remotiusculis patenti-erectis concavis, calycinis replicato-divergentibus, acute emarginatis, laciniis acutis. Mart. l. c. p. 160. tab. V. f. 37.

Habitat in sylvis umbrosis ad terram. Novbr. c. calycibus.

152 Jungermannia excisa Dicks.

J. caule brevissimo simplici repente, foliis imbricatis concavis obovatis emarginatis, laciniis et sinu acutiusculis. Mart. l c. p. 167. tab. V. f. 42.

Habitat in praeruptis umbrosis sterilissimis rarius. — prope Neobrandenb. im Nemerow. Holz am hohen Ufer. Novbr. c. calyc.

Habitu nitidiore, caulibus teretiusculis quasi julaceis flavo-viridibus et foliis arctius imbricatis statim a praecedenti laxiore intensius viridi distinguitur.

153. Jungermannia connivens Dicks.

J. caule repente ramoso, foliis planiusculis circumscriptione ovato-subrotundis profunde bifidis, laciniis acutissimis subconvergentibus.
Mart. l. c. p. 169. tab. V. f. 44. a. b.

Habitat in turfosis alios muscos filamentose perrepens frequentissime. Vere c. calycibus — stirps polymorpha.

154. Jungermannia quinquedentata L.

J. caule ramoso adscendente, foliis subquadratis planiusculis plicato-repandis tri-quinque-dentatis integerrimis. Mart. l. c. p. 176. tab. VI. f. 50. a. c.

Habitat in nemoribus ad truncos putridos frequens. — prope Neobrandenb. im Broda. Holz bei Neuendorf. Autumno. sterilis.

155. Jungermannia viticulosa L.

J. caule ramoso procumbente nudo, foliis subhorizontalibus concavis subrotundis subdecurrentibus. Mart. l. c. p. 178. tab. VI. f. 52.

Habitat in nemorosis rarius. — Im Broda-schen Holz. Autumn. sterilis.

156. Jungermannia pinguis. L.

J. fronde obovata lobata subenervi, lobis sinuatis, inferne fructifera. Web. et Mohr. Cryptog. germ. 432.

Habitat ad latera collina uliginosa passim. — prope Neobrandenb. am Galgenberg bei den Lehmgruben. Aug. c. fruct.

Ad No. 984. Jungermannia globulifera Roth est J. exsecta Schmidel. Mart. l. c. p. 163. tab. V. f. 38.

Ad No. 999. Jungermannia pubescens, planta uti videtur alpestris, deleatur; nondum genuinam speciem reperi.

157. Riccia natans. L.

R. frondibus dichotomis obcordatis, radicibus serratis. Web. et Mohr. l. c. p. 443.

Habitat in fossis turfosis, aquis innatans rarius. — ad pag. Eichhorst in der Pfarrwiese. Aestate.



